MASTER NEGATIVE NO. 91-80322-11

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

THEODULUS, OF ATHENS

TITLE:

THEODULI ECLOGAM, E CODICIBUS PARISINIS ...

PLACE:

SANGERHUSIAE

DATE:

1836

Master Negative #

91-80322-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Theodulus, of Athens,

Theoduli Eclogam, e codicibus Parisinis et Marburgensi recensuit et prolegomenis instruxit August. Aemil. Alfr. Beck... Sangerhusiae, apud Ed. Dittmarium, 1836.

50 p. 20 cm.

46767

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 11-25-91 INITIALS G.G.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM



Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.




SIGILLVM · COLLEGII · COLVMBIAE · NOVI · EBORACI
IN LVMINE TVO VIDEBIMVS LVMEN

Herrn Dr. Staeger vom [illegible]

THEODULI ECLOGAM

E

CODICIBUS PARISINIS ET MARBURGENSI

RECENSUIT

ET

PROLEGOMENIS INSTRUXIT

AUGUST. AEMIL. ALFR. BECK,

PHIL. DOCT.

SANGERHUSIAE,

APUD ED. DITTMARIUM.

MDCCCXXXVI.

Theodotus, of Athens

VIRIS

MAGNIFICENTISSIMIS ET SUMME VENERABILIBUS

CAR. THEOPH. BRETSCHNEIDER,

DUCATUS COBURGO-GOTHANI SACERDOTI PRIMARIO,
SERENISSIMI DUCIS A CONSILIIS SECRETIS IN CONSISTORIO SUPREMO,
EQUITI ORDINIS DOMESTICI DUCUM SAX.,
PROTEPHORO GYMNASII ILLUSTRIS,
THEOLOGIAE DOCTORI

ET

EDUARDO ADOLPHO IACOBI,

IN AULA EIUSDEM DUCIS SERENISSIMI CONCIONATORI PRIMARIO,
CONSISTORII SUPREMI CONSILIARIO,
EPHORO GYMNASII ILLUSTRIS,
PHILOSOPHIAE DOCTORI

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

IN GRATISSIMI ANIMI DOCUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

§. 1.

Fausta nobis fortuna accidit, ut in rei litterariae ecclesiasticae studiis frui possimus copiis ingentibus, a Vossiis, Fabriciis, Caveis aliisque sollertissimo labore undecunque congestis: ac sane indigni essemus hereditate horum virorum tam lauta ac locupleti, si, peracta et profligata esse ab iis omnia nobis persuadentes, legamus solummodo et memoriae secure mandemus, quae de scriptoribus ecclesiasticis docuerunt. Immo nunc cum maxime decet res ab iis congestas et illustratas comparare inter se, conciliare vel distinguere; modo aetatis alicuius universae, modo insignis scriptoris imaginem quantum fieri potest plenam sibi construere, quaevis denique subacto iudicio secum reputare, ut scias tandem, quae vera possint haberi, quae incerta sint, quae falsa et reiicienda. Quam necessaria vero sit, imprimis in re litteraria ecclesiastica, lectio qualem significavi *critica*, ostendere conabor exemplo eorum, quae de *Theodulo*, poeta Christiano, ab omnibus fere unanimi consensu ad hunc diem traduntur.

§. 2.

„*Theodolus cum Commentario*, *in* 4. *folior.* 65. Quis „*Theodulus*, sive *Theodolus* a), ut in nostro exemplari, „litteris Romanis impresso, legitur, fuerit, nondum con- „stat. Sunt qui cum Honorio Augustodunensi L. III. de „Scriptt. eccles. Cap. XIII. p. 86. (edit. Io. Alb. Fabricii. „Hamb. 1718. Fol.), Sigeberto Gemblacensi de Scriptt. „eccles. Cap. 134. p. 108., Guilielm. Cave in Hist. litterar. „Scriptt. eccles. T. I. p. 456. (Oxon. 1740. Fol.), Casimir. „Oudino in Commentar. de Scriptt. et scriptis eccles. T. „II. p. 480. (Lips. 1722. Fol.), Polycarp. Leysero in „historia poetarum et poematum medii aevi p. 293. (Hal. „1728. 8.), Christian. Schoettgenio in Continuat. Biblioth. „Fabric. med. et infim. Latinit. lib. 19. p. 653. *Theodulum* „natione fuisse Italum statuant, qui Athenis studiis littera- „rum operam dederit, et ibidem ad Episcopi dignitatem „pervenerit. Cum gentiles et Christianos disputantes au- „dierit, illum utriusque partis collegisse rationes, et in

a) Scholiasta codicis *α* titulum refert: „Incipit eggloga *Theodoli* vel *Theodosii* vel *Theodorii* . . . . . *Theodorius* videns Deum interpretatur." In fine carminis: „Explicit liber *Theodoli* sive *Theodori*." Glossa codicis Helmstad. habet *Theodorus*. cf. Fabricii B. G. T. IX. p. 250. Alexander de Sto. Albano, commentator codicis Paris. quem designabimus *v* (cf. §. 5.), dicit: „liber iste sic intitulatur: incipit ecloga *Theoduli* vel *Theodori* vel *Paradisi*. *Theodulus* servus Dei vel Deo interpretatur, *Theodorus* vir videns Deum . . . . Auctor iste primum in Italia studuit, deinde vero in Graecia apud Athenas, ubi multas audivit disputationes gentilium et Christianorum, ad quorum similitudinem librum suum volens componere introducit Pseustim et Alathiam i. e. veritatem et falsitatem more pastorum litigantium ad invicem, quia mos est pastorum ut saepius de facili litigent quam caeteri homines, in quo opere intendit unitatem ecclesiae; unitates gentilium destruere et ostendere, quod, quantum veritas praecellit falsitatem, tantum superat divina scientia humanam." Similiter etiam Scholiasta codicis *α*. *B*.

„illud opus, quod *eglogam* sive *eclogam* vocavit b), con- „tulisse memorant. Alii contra, ut Ioan. Trithemius de „Scriptt. eccles. Cap. 185. p. 52., Sixtus Senensis in Bi- „blioth. sancta lib. IV. p. 306., Anton. Possevinus in Appa- „rat. sacr. T. III. p. 206., Andr. Christian. Eschenbach in „dissert. de poetis Christianis sacris. Sect. II. §. 23. l. „cit. p. 114. c) Presbyterum et Episcopum Coelesyriae il- „lum fuisse adfirmant. Sed illos errasse, ex eo satis di- „lucide adparet, quod Honorius Augustodunensis lib. II. „cap. 90. Theodorum, quem Gennadius cap. 91. *Theodu-* „*lum* adpellat, Presbyterum et Episcopum in Coelesyria, „a *Theodulo*, de quo heic agitur, disertis verbis distin- „guit (conf. Ioann. Alb. Fabricii B. G. Vol. X. lib. 5. Cap. „45. p. 546. Io. Henr. Leichii Annal. typogr. Lipsiens. p. „65. not. x). Qua ratione Possevinus, mira plane oscitan- „tia, ex uno scriptore tres fecerit diversos, quorum duos „priores Theodoros vocat, iam animadvertit Cave l. cit. „Refert Schoettgenius l. cit. ex Anton. Sanderi Biblioth. „belgica MSta I. p. 139., quod in codice quodam MSto

b) Trithemius, Sixtus Senensis, Possevinus locis a Freytagio citatis, et Hallervordius in Biblioth. curiosa p. 385. dicunt, Theodulum scripsisse plures eclogas. Sine dubio error est, cum caeteri, qui latius et melius de Theodulo auctore egerunt, unam solum commemorent eclogam. Praeterea in Frisii Biblioth. p. 778. (Tiguri 1583.) Theodulo opus attribuitur „de quinque clavibus sapientiae" et in Gebaueri dissertt. anthol. p. 347. Renatus Moraeus dicit, Theodulum scripsisse librum „de contemtu mundi." In codice MSto Paris. nr. 8460 post Theoduli eclogam sequitur Anonymi carmen morale „de contemtu mundi." Nescimus, num sit idem cum libro, cuius mentionem fecit Moraeus. Moraeus pariter ac Frisius ex nostra sententia erraverunt, quia nusquam invenimus, quod illi, qui praeterea nostrum Theodulum confundunt cum Presbytero Coelesyriae, contendunt. *B*.

c) Lil. Gyraldus in Hist. poet. dialog. 5. Vossius de hist. lat. lib. 3. cap. 8. p. 747. Frisius l. c. Gebauer l. c. *B*.

„Ioannes Chrysostomus d) hoc opus composuisse legatur, „qui ut adrogantiam vitaret, adsumto *Theoduli* nomine „opus evulgaverit. Eadem plane leguntur in Commentario „editioni, quam recensemus, adiecto, ubi fol. 1. haec ver„ba oculis se obiiciunt: *Caussa efficiens est pene ignota; „dicunt tamen aliqui quod Theodulus ipsum composuit. „Alii dicunt quod Ioannes Chrysostomus doctor Theolo„gus eminentis scientiae. Alii dicunt aliter* e). *Sed su„per hoc non est curandum multum. Et ego credo quod „Theodolus non sit proprium nomen auctoris: sed no„men noviter inventum et fictum secundum proprietatem „rei et materiae* f)*: sicut in comoediis davus quasi dans „vana. Caussa finalis est ut videatur qualiter a pseudo„praedicatoribus et perversis hominibus veritas ipsa „saepe criminetur: tamen ipsa vincit falsitatem. Ex „quo patet utilitas operis. Hortamur enim in isto libel„lo amare veritatem et fugere falsitatem et mendacium: „et credere quod falsitas a veritate superatur. — Titu„lus est talis. Incipit liber vel aegloga* g) *Theodoli. Et*

d) Quantum errent ii, qui Ioannem Chrysostomum auctorem huius eclogae statuunt, ex eo apparet, quod ille, ut omnibus notum est, lingua Latina non eruditus fuit. Praeterea hoc genus versuum quarto saeculo, quo floruit Chrysostomus, nondum fuit in usu, sed sexto demum saeculo et deinceps. cf. §. 4. *B.*

e) Scholiasta codicis α dicit: „de auctore huius libri dubitatur. Quidam dicunt, quod Ioannes Chrysostomus composuit hunc librum et nuncupatur hoc nomine Theodorus." *B.*

f) conf. §. 4. in fin. *B.*

g) In codice Fabricii *Tetrastichium* inscribitur, quod singula carmina quatuor versibus comprehenduntur. cf. Fabricii notam ad Trithem. l. c. In libris „Auctores VIII morales c. append." Lugd. 1538. 8. et 1578. 8. Theoduli ecloga nominatur „Theoduli duellum," quod Schwabius immerito distinguere vult a nostro carmine. Codex Paris. n. 4930 inscriptionem habet: „Theoduli ecloga sive liber Paradisi." Scholiasta Cod. α dicit: „Paradisus ortus deliciarum, ideo dicitur liber Paradisi, quia de fidelibus loquitur, qui sunt ortus deliciarum." *B.*

„iste Titulus innuit quod Theodolus sit nomen auctoris. „Vel dicatur sic. Incipit Theodolus, ut Theodolus sit „nomen huius aegloge: sicut eunuchus nomen unius co„moediae: sicut etiam tragoedie propriis nominibus no„minantur: sicut etiam intitulatur quaelibet egloga Vir„gilii. Dicitur autem Theodulus a theos quod est Deus, „et dolus doli; quia in hac aegloga agitur de veritate, „quae est ipsemet Deus: Deus est prima veritas. et de „dolo i. falsitate. Et pro latiori declaratione sciendum „est, quod aegloga dicitur esse vana descriptio buccoli„corum: ut est materia humilis, mores praedicans, per „introductionem rusticarum personarum, ut pastorum, „et dicitur ab egle (sic), *quod est capra: et logos sermo, „quasi sermo caprinus i. humilis: vel quia a capris et „talibus ruralibus possessionibus talis sermo sumitur.* „Auctorem *Eclogae*, quisquis ille demum fuerit, ad poe„tas Seculi X referendum esse, cum Caveo et Fabricio „in notis ad Trithem. l. c. ideo existimat Leyserus l. c., „quod hexametris rhythmicis sive leoninis *ecloga* sit con„scripta h). Ad seculum VI autem Theodulus relatus fuit „ab Olao Borrichio Diss. II. de poetis latin. p. 81. Inchoa„tur *ecloga* hac ratione: *Aethiopum terras* etc. Perso„nae colloquentes sunt Pseustis, Alithia, Phronesis i)."

„Quod ad *commentarium* adtinet, illum ab homine „barbaro, qui prima grammaticae neglexerit rudimenta,

h) Schwab. contendit, Theodulum floruisse circa annum 980.; vide et Fabricium in B. L. Vol. VI. p. 653. Cave l. c. eum „incertae aetatis" scriptorem appellat, sed tamen, ut alii scriptores litterarum ecclesiastici, ad annum 980 refert. Hunc sequitur Oudinus l. cit. *B.*

i) Alexander de Sto Albano dicit: „Auctor iste utitur in opusculo suo tribus stylis, et tres personas inducit triplici stylo, sive argumento, fabula et historia."

„compilatum esse, particula a nobis excerpta lectores do-„cere poterit. Quis ille fuerit, dicere non sustinemus. „Multos enim in *Theoduli* eclogam commentarios conscri-„psisse, ipse memorat commentarii auctor anonymus, cum „hac ratione illum inchoat: *Multi licet magno excellenti „ingenio viri ad praesentis libelli expositionem se appli-„caverunt, tamen haud iniuria labor iste, quem aggre-„dior, supervacuus atque superfluus videbitur* etc. Emi-„net inter commentatores Bernardus Sylvestris, clericus „Traiectinus, circa annum 1110 clarus, cuius mentionem „faciunt Sigebertus Gemblac. cap. 169. p. 114. Possevi-„nus T. I. p. 229. Oudinus T. II. p. 1006. Caspar Bur-„mannus in Traiecto erudito p. 25 sqq. (Trai. ad Rhen. „1738. 4.), ubi etiam varias bibliothecas nominat, in qui-„bus Bernardi commentarius MS. adservatur[k]). Stepha-„num praeterea Patringtonum sive Petringtonum, Ebora-„censem, Theologiae Doctorem Oxoniensem, et monachum „Carmelitanum, commentarium in *Theoduli* eclogam scri-„psisse testantur scriptores, quos produxit Schoettgenius „l. c. p. 592. Is ipse Stephanus Patringtonus est, quem „Io. Lelandus in comment. de Scriptt. Britannicis P. II. „cap. 514. p. 429 sqq. Patrendunum, et Possevinus T. III. „p. 249, Christophor. Hendreich in Pandect. Brandenburg. „p. 193. et Leyserus p. 299. Stephanum Anglicum nomi-„nant et commentarium in Theoduli eclogam conscripsisse „perhibent[l]). Commentarium in *Theoduli* eclogam, ab „anonymo confectum, in bibliotheca Academiae Iuliae MS. „exstare, memorat Leyserus l. cit., qui a nostro diversus „videtur, quod diversum illius sit initium."

---

k) Cave in libro citato nullam fecit mentionem neque commentarii Bernardi, neque ipsius Bernardi. Praeterea confer ea, quae infra dicemus de eo et de caeteris commentariis, §. 5. *B.*

l) Diem obiit supremum Stephanus anno 1417. cf. Fabricii B. L. Vol. VI. p. 592 et Lelandus l. c.

§. 3.

Haec Freytagius in Apparatu litterario Vol. I. p. 497 sqq.: cuius expositione quam nostra maluimus uti, quia tam breviter quam plene sententias adhuc de Theodulo prolatas complectitur. Sed praeter errores, ab aliis pridem refutatos, illos dico, Theodulum fuisse episcopum Coelesyriae sexti saeculi, Ioannem Chrysostomum esse scriptorem eclogae, restant alia, quae, si accuratius reputaveris, maximas tibi obiiciant difficultates. Sigebertus Gemblacensis, cuius testimonium in hac re gravissimum, imo instar omnium esse debet, haec narrat (de Scriptt. eccles. cap. 135. p. 371.): „*Theodolus Italus natione, „graeca et latina lingua eruditus, cum Athenis stude-„ret, audivit gentiles cum christianis altercantes, quo-„rum colligens rationes reversus contulit in allegori-„cam eglogam, introducens duas personas altercantes, „et tertiam de duarum dictis diiudicantem. Primam vo-„cans Pseustin, a falsitate dictam, humana et fabulo-„sa proponentem; secundam Alithiam, divina et vera „opponentem; tertiam Phronesin, a prudentia dictam, „per quam dubia examinantur. Theodulus interpreta-„tur Dei servus. Titulus huius libri est, egloga Theo-„doli. Hic sub clericali norma obiit immatura morte „et ideo librum suum non emendavit.*" Quid igitur? *Italus?* cur non Romanus, vel Pisanus, vel Neapolitanus? Non est hic mos biographorum, dicere aliquem *Italum*, si sit vel Mantuanus vel Sulmonensis etc. Italum autem fuisse qui Latine scripserit, versiculos satis puros condiderit, sane perprobabile esse debebat iis, qui nesciebant ortum Theoduli. Consentient igitur mecum omnes, illud ipsum, *Italus natione*, sine dubio prodere *ignoratam* fuisse a Sigeberto, vel ab iis potius, unde sua hausit, veram originem poetae nostri. Pergamus. „*Graeca et latina lingua eruditus.*" Verum hoc, quantum quidem ex ipsa ecloga potest effici: sed in narrationibus de vita ali-

cuius scriptoris seu poetae reperire solemus vel praeceptorum mentionem, vel disciplinae genus, vel studiorum urbes, vel denique eiusmodi aliquid: at haec: „*graeca et latina lingua eruditus*" plane pendent et a quovis ex ipsa ecloga poterant duci. Non urgemus quidem hoc, sed mira tamen foret haec ieiunitas in scriptore, qui tradita antiquitus et narrata sibi vel memoriae mandata a gnaris rerum testibus sequeretur. Porro autem dicitur Theodulus, „*cum Athenis studeret*, *audivisse gentiles cum christianis altercantes.*" Monstri vero simile hoc decimo saeculo, quo vixisse Theodulum plurimi statuunt litterarum Christianarum enarratores. Notùm enim est, iam quinto saeculo gentiles sophistas ab urbe Athenarum plane exsulavisse, etiamsi in obscurioribus locis paullo diutius latuerint: cuius rei documenta praeter alios nuper indicavit Zinkeisen in Histor. Graeca Vol. I. (1833.) p. 713 sqq.

Praeter haec in ipsa ecloga non ullum deprehendas vestigium illius ardoris, nescio an dicam furoris sacri, quo Patres ecclesiastici in gentiles et indignam divino numine mythologiam eorum desaeviunt: at alia in hoc carmine tempora; certaminis magno utrimque animo acerrime dimicati nullum ibi indicium est tanquam adhuc flagrantis; animorum fide concitatorum motus compositi silent: ira et studium ita repressa, ut poeta in argumento suo bucolice videatur ludere. Hoc omnes confitebuntur non potuisse fieri, si tantillum etiam Graecae mythologiae et Graeco Olympo habita fuisset fides, quo tempore carmen illud scribebatur. Igitur haec quoque notatio, repetita ab omnibus, si rem paullo subactius cogites, commenti instar debebit haberi.

Hucusque illud mihi videor effecisse, ut, quae de Theodulo narrantur, ex ecloga potius ipsa probabiliter, si Deo placet, quam ex antiqua narratione veraciter derivata esse cognoscas. Sed quid, si altius ea persequi nobis liceat? Quae Sigebertus refert, iisdem prope verbis, certe senten-

tia prorsus eadem reperiuntur in scholiis codicum Parisinorum, qui sunt saeculorum XIII et XIV, et editionum (conf. §. 2 not. a.). Ex Sigeberti, monachi Gemblacensis duodecimi saeculi, opusculo eos profecisse, probabile non est, at utrique, scholiastae et Sigebertus, Bernardi Sylvestris mentionem faciunt eiusque commentarii in eclogam nostram. Dubitarine igitur potest, quin ex celebri potius Bernardi opere sua hauserint, quam ex monachi illius historia scriptorum ecclesiasticorum, quae, quantum quidem sciri potest, XV demum saeculo ex umbris monasterii Gemblacensis exiit? Hoc autem si recte statuimus, ut videmur statuere, confidimus etiam nos hinc quoque esse demonstraturos, ficta fuisse illa omnia a Bernardo Sylvestri de persona scriptoris ipsi aeque ignota ac nobis hodie. Audi quaeso eum in epistola dedicatoria commentarii sui ad Conradum, episcopum Traiectensem (in Edm. Martene et Ursini Durand vett. scriptt. et monumentorum collectio. Par. 1724. Fol. T. I. p. 512.): „*Lecturus aliquando Theodulum pueris, quibus docendis doctorem doceri quam docere aptiorem praefecistis, primum quidem in his, quae extra quaeri solent, dehinc in historiarum fabularumque mysteriis eos coepi rudis rudes erudire, quae cum vellemus nec valeremus, ego quidem satis dicere, illi vero retinere, cupientes ipsi doceri, docere me cupientem rogaverunt, ut quibus et de quibus colloquendo satisfacere non poteram, eis et de his scribendo satisfacerem.*" . . . . . „*Primum, quicquid in librorum principiis moderni et antiqui requirenda censent, proposui et exposui. Deinde Theodoli eclogam ad litteram et allegorice et plerisque in locis moraliter explanavi. Novissime vero dictionum quoque naturam pueris pueriliter aperui.*" Audiǹ: „*Primum quicquid — exposui?*" Commentarium scribere voluit qualem Donatus in Terentium et Virgilium, et alii multi in alios: sed opus ei erat ad hoc ausum prooemio iusto cum „*vita poetae;*" antiqui enim et moderni, ut

ipse ait, haec requirenda censent. Putasne talia eum dixisse, si in promtu et tradita sibi habuisset, quae dicenda esse credebat, ut iusta forma exiret ipsius commentarius? Minime! Narravit igitur, quae tanquam indubitata ex ipso poemate ipsi videbantur apparere: sed suorum temporum arcta et exilis doctrina eum iam prodit. Pseustes erat „pastor natus ab Athenis:" quidni Athenis haec gesta diceret, doctae gentilitatis sede? Verum non attendit primum versum eclogae, qui nihil significare potest, quam *in Aethiopia* haec geri voluisse poetam, hoc est poetici ingenii commentum in terra fabulosa, sicuti plures commentatores explicant.

Haec autem, inquis, si ficta sunt de persona poeta, quid verum contra dabis? quis fuit? quo tempore vixit? Respondeo: Non magis scio quam Bernardus saeculo duodecimo, sed, Horatio auctore,

sapientia prima,
Stultitia caruisse.

§. 4.

Descripto carmine, pergit Sigebertus: „*Theodulus sub clericali norma obiit immatura morte, et ideo librum suum non emendavit.*" At haec fingi non potuerunt; nisi enim vetus aliqua historia hoc retulisset, cur comminiscerentur, immatura morte obiisse Theodulum? Narrat Anonymus Mellicensis cap. 36: „*Qui dum sic posuit: D i c, e t T r o i a n u m l a u d e r i s s c i r e s e c r e t u m, se male corripuit,*" et scholiasta codicis α (vers. 320): „*Notandum, quod prima de secretum hic breviatur, et ideo dicunt quidam, quod iste versus falsus est.*" Nec dubium est, quin, quum similia non pauca peccata apud nostrum poetam reperiantur, alii scholiastae vituperarint alia huiusmodi. Vitia igitur commisit poeta, qui a Bernardo et aliis commentatoribus pro doctrinae Christianae promptuario habebatur: vitia commisit is, cuius unumquodque verbum ex allegorica interpretatione rivulos sacrae sapientiae emisit. At hoc pati non

poterant sancti illi viri; imo fieri non potuisse sibi persuaserant. Quid igitur? Immatura morte obiit, neque admovit eclogae ultimam manum, neque obiit sine clericali norma. — Ita dilapsa sunt omnia, ni fallor, quae de persona scriptoris nostri traduntur. Ignotam et fuisse et esse confiteamur oportet. Hoc solum dici poterit, eum se monstrare tam Graece doctum, ut vix putemus post septimum saeculum in occidente, i. e. in Italia, Gallia, Germania, eum vixisse: accedit, quod vocabula Graeca ad Graecam potius quam ad Latinam normam usurpat: nam codicum prope omnium consensus in hac re gravissimus est, quum a consuetudine haec ratio prorsus abeat, dicere *Alithia, Pseustis,* quae forma ab assonantia versuum defenditur. Adde nomina biblica ex Septuaginta potius interpretibus quam ex Vulgata Hieronymi ducta: v. not. ad versus 180, 201, 234, 283. Sic *Salmon* pro Σαλμωνεύς, v. 237, ex novo graecismo terminationes abradente fortasse repetendum, et v. 213 *ide* pro ἰδέα.

Tempus quo vixerit esse statuunt nonum sive potius decimum saeculum (conf. §. 2. not. h.), duobus nixi argumentis: priore, Sigebertum eum posuisse inter scriptores noni vel decimi saeculi; altero, quod usus fuerit versibus, ut aiunt, leoninis. Sed ut ab eo discedam, Bernardum, tantum Theoduli admiratorem, centum annis post nihil de eo potuisse rescire, Sigeberti librum nihil omnino probare ostendo. Fieri quidem potest, ut ab initio libri de scriptoribus ecclesiasticis temporum ordinem fuerit secutus (hoc enim quaerere iam non vacat), sed versus finem, ubi appendicis loco quosdam ante praeteritos inseruisse videtur, tempora plane perturbata sunt; atque adeo Theodulus, quem Sigeberto auctore ad nonum vel decimum saeculum deprimunt, positus est inter *A d h e l m u m e p i s c o p u m* anni 709 et *H a y m o n e m* anni 853. Sigebertus igitur testis de lite dimittendus est. Versus autem non sunt leonini, ut cuivis conspicuum, sed assonantia (ut hoc vocabulo utar) ea ornati, quam non rarissime in veteribus poetis invenimus,

saepius et ita, ut quaesita esse videatur, in carminibus a sexto saeculo ac deinceps, sed nusquam tanta, qua apud Theodulum, constantia. Verum qui se „tetradi Pythagoricae" (v. 35) adstrinxerit, potuitne itidem illi ornatui sese adstringere? Eandem rem quin fecerit alius poeta sexti vel septimi saeculi, vix dubitari potest post testimonium Ioannis Ciampini, quod, a Schwabio immerito contemtum, hic adiicio (Vetera monimenta, in quibus praecipue musiva opera. Rom. 1690. Fol. P. I. Cap. 3. p. 26 sqq.): *„in „columnis ecclesiae St. Prudentianae leguntur:"*

„Ad requiem vitae cupis o tu QQ. venire.
„En patet ingressus fueris si rite reversus.
„Advocat ipse quidem via dux et ianitor idem,
„Gaudia promittens, et crimina quaeque remittens."

„In peripheria agni cum diademate crucem sustinentis „haec:"

„Hic agnus mundum restaurat sanguine lapsum.
„Mortuus et vivus idem sum pastor et agnus."

„In Virginis imagine haec:"

„Virgo Prudentiana coram stat lampade plena.
„Protege praeclara nos virgo Prudentiana."

„In alio:"

„Occurrit sponso Praxedis lumine claro.
„Nos pia Praxedis prece sanctas confer ad edis."

„In alio:"

„Hic cunctis vitae pastor dat dogmate sancte.
„Sancte precor pastor pro nobis esto rogator."

„In alio:"

„Almus et iste docet Pudens ad sidera cales.
„Te rogo, Pudens sancte, nos purga crimina trudens."

„Quo autem tempore haec ianua constructa fuerit, „plurima licet cura et diligentia usus fuerim, nihil reperi; „at coniectari si liceat tam e characteribus quam ex „agni supra indicati figura, existimo redolere tempora „sexti vel septimi saeculi, praesertim ex Can. 82 conci„liabuli Quini-Sexti sive Trullani, ubi ausu nimis im„probo pseudosynodus illa Romanam ecclesiam corrigere „praesumsit, quae legalem agnum parieti appingere con„sueverat: decrevit igitur, ne Christus Dominus sub agni „forma depingeretur: quare agnum istum expressum di„cerem aut ante dictam synodum, vel paullo post in „dicti canonis confutationem, de quo late Lupus in no„tis ad hoc conciliabulum. — Scio tamen ab eruditis hic „obiici mihi posse, longe saeculum sextum vel septimum „excedere, tum duodecimum redolere, argumento desumto „ex versibus, qui circa Iconum peripherias leguntur, et „leonini censentur, cum eorum aliqui nihil ab illis dif„ferant etc. etc. At huiusmodi carminum usum aliquem „praedictis saeculis XII et XIII antiquiorem esse tra„dit Stiglianus de arte versificandi cap. 14."

Fluctuat igitur aetas poetae nostri inter sextum vel septimum et decimum saeculum: metri vero aliquot vitia, quae evitari fere solent a poetis octavi exeuntis et noni saeculi, quae est aetas Caroli Magni, suadere possint, eum ad septimum vel octavum pertinere, nisi quidem alius prorsus regionis erat.

Denique nobis veri perquam simile esse videtur, quamvis obloquente Schwabio, Theoduli nomen fieri posse ut non proprium personae, sed *noviter inventum sit et fictum secundum proprietatem rei et materiae*, ut ait scholiasta (cf. §. 2. not. f.): quod iis usque reputandum est, qui post nos auctoris eclogae vestigia indagaturi sunt in scriptoribus medii aevi.

In fine carminis duo codices offerunt octo versus, de quibus recte iudicavit Lessingius (Zur Geschichte und Litteratur. Erster Beytrag 1773. p. 248 sqq. in Operibus T. XIII. p. 346 sqq.). Ne externus quidem Theoduli versuum habitus cum cura servatus est, assonantiam dico, nedum caetera. Desiderabant viri pii conclusionem iustam, i. e. doxologicam, quam aliis eiusmodi opusculis adiicere solebant non poetae modo, sed alii quoque scriptores Christiani. Exemplo sunt dialogi, de resurrectione corpo-

rum tractantes, Aeneae Gazaei et Zachariae Mitylenensis. Hinc facile apparet, etiamsi meliores forent hi versus, Theodulo tribui non potuisse, quia a codicibus bonis et mediocribus omnibus absunt.

§. 5.

Omnes fere commentarii idem institutum tenent, quod descripsit Bernardus Sylvestris in epistola dedicatoria sui commentarii, quae introductionis instar omnibus esse potest. Conferas verba eius versus finem §. 3. Commentarium ipsum Bernardi, qui Parisiis servari dicitur in Bibliotheca Regia (cf. Oudinus l. c. Nova miscellanea Lips. T. VII. p. 713. Histoire littéraire de France T. VIII. p. 678 sqq.), omni opera quaesivimus, sed ne auxiliante quidem custodum humanissimorum benignitate potuimus reperire. Praesto tamen erant quatuor commentarii post Bernardum concinnati, pleni somniis allegoricis, ultra omnem exspectationem insanis, et explicationibus puerilibus, doctrinae solidioris inanes; in priore, ex pluribus aliis concinnato, commemoratur Bernardus (ad v. 293, 301, 322, 323, 332) et Alexander de Sto Albano (ad v. 301 et 309) [*Cod. α* = nr. 2638. Cod. membran. cum glossis, forma quarta, Saec. 14.]. Alter commemorat et ipse Bernardum (ad v. 293 et 323); est autem, ut ex locis ab illo priore ad verbum expressis apparet, huius ipsius Alexandri de Sto Albano, cuius ab aliis mentionem esse factam non vidimus [*Cod. ν* = nr. 1862. Cod. membran. cum glossis, forma quarta, init. Saec. 13. Post versum 344 leguntur haec:

Finito libro reddatur gloria Christo. Amen.]

Tertius verbosissimus est et ad categoriarum fere Aristotelicarum ductum compositus [*Cod. o* = nr. 7537 A. Cod. membran., olim Colbertinus, forma quarta, Saec. 14. Finis (v. 317 sqq.) desideratur]. Quartus continet eclogam usque ad versum 100. Adnotationes sunt breves et pariter ac caeterorum nullius momenti [*Cod. ε* = nr. 1702. Cod. membran. anno 1396 exaratus, forma maxima]. Praeterea

tres reperi codices MSS., satis bonos et antiquos, qui carent commentariis. Horum primus et bonitate omnibus superior est *Cod. β* = nr. 7993. Cod. membran. cum glossis, forma maxima, Saec. 13.; secundus, cuius initium usque ad versum 282 a manu posteriore erasum, est *Cod. τ* = nr. 8023. Cod. membran., olim Colbertinus, forma maxima, init. Saec. 15.; tertius, qui est solus codex Paris., ubi reperimus versus 345—352 et post versum 352 haec:

Ponitur hic finis perfecto carmine litis.

Laus Tibi sit Christe, quoniam liber explicit iste.

est *Cod. γ* = nr. 6403. Cod. membran., olim Mazarini, cum glossis, forma maxima. Saec. 14. Quorum omnium lectiones variantes indicabimus in notis criticis editionis nostrae. Caeteri Bibliothecae Regiae codices, qui Theodulum continent, saeculo quinto decimo sunt conscripti, et nullius nobis esse videbantur momenti: quam ob rem indicabimus solum: nr. 4930. Cod. chart., olim Mazarin., inscriptus *Theoduli ecloga sive liber Paradisi*, forma maxima; nr. 8115. Cod. membran., olim Colbert., cum commentario uberrimo, forma maxima; nr. 8259. Cod. chart., olim Colbert., forma quarta, qui recens illius codicis, quem littera *α* significamus, apographum esse videtur; nr. 8460. Cod. membran., olim Puteaneus, forma octava, pluribus locis legi non potest.

Denique *Hermanni* et *Wagneri*, Prof. Marburg., benignitati acceptam refero varietatem lectionis e codice Marburgensi D. 12 g. accuratissime enotatam, cuius codicis brevem, quae mecum communicata est, notitiam una cum commentarii ei adspersi speciminibus hic subiiciam.

[Codex chartaceus formae maximae saec. decimi quinti, ut videtur, ineuntis. — Continet praeterea postillā super evangelia dominicalia, expositionem symboli magistri Nicolai de Gretz, et alia theologica.

Iste liber . . . . de disputatione pseustis et alathie hoc est de veritate et falsitate . . . . sive causa moralis dicitur dispu-

tatio inter veritatem et falsitatem, ut cognita veritate falsitas abiiciatur et heresis repellatur. Causa vero efficiens dicitur fuisse secundum aliquos katho (?) et secundum alios dicitur fuisse theodolus qui primo studuit in ytalia post in grecia aput athenas et ibidem est electus in episcopum ubi audivit multas disputationes gentilium et christianorum ac romanorum (?) pro quorum concordia librum suum volens componere introduxit pseustin et alathiam i. e. falsitatem et veritatem more pastorum . . . . litigantium. Unde titulus huius libri est egloga vel theodolus editus vel edita a quodam theologo de veritate et falsitate . . . egloga dicitur ab egle graece quod est capra latine et logos sermo quasi sermo caprinus et vocatur quasi sermo fabulosus egloga propter eius utilitatem. Et theodolos dicitur a theos quod est deus et dolos quod est fraus, quia iste liber tractat de veritate qui est deus et falsitate qui est fraus, et subordinatur philosophie morali quia de moribus christianorum tractat. Causa vero finalis est ut per huius libri doctrinam ydolorum cultus et prave hereses fugiatur et christum qui est vera sapientia imitemur. Et tres introducit personas scilicet pseustin alathiam et fronesin: pseustis enim interpretatur falsitas vel synagoga vel dyabolus vel tempus quod fuit ante (?) tempus graece Alathia veritas vel ecclesia vel deus vel tempus graece interpretatur et fronesis sapientia prudentia interpretatur et afronos imprudens.

Specimina commentarii ad v. 34—36.

Et dicit o pseustis tu es masculus Ideoque propones alathie mulieri et ipsa respondebit tibi Deinde fronesis dedit secundam sententiam dicens utraque personarum in sua disputatione debet metrice procedere secundum unum quaternionem qui vocatur pittigoratus eo quod pitagoras talis philosophus seu musicus una vice transiens unum quoddam flumen audiendo tres maleos discordare iussit quartum apponi et tunc concordia fuit facta Ultimo fronesis supplicat ut sol diem prolongaret sic quod laudabili fine

disputationem queant terminare *Allegorice* O pseusti i. e. tempus sub lege perge prior quia masculus es quia quemadmodum masculus est dignior femina ita tempus quod fuit sub lege dignius erat tempore gracie Illa i. e. tempus gracie equabit studio i. e. sequetur indulgendo et christiane fidei inherendo tetras numerus pitagore sit in vestro ordine i. e. ordo quatuor evangelistarum vel tetras i. e. quatuor virtutes cardinales Ego prudentia exoro ut sol i. e. christus qui est verus sol iusticie augeat tempus i. e. det nobis christianis tempus poenitentie ne subito praeoccupati hora mortis moriamur in peccatis.

Ad v. 309—312.

Hic pseustis paulatim videtur converti ad fidem sed latenter et obscuris verbis mentem suam insinuat dicens Proh dolor quaenam dira voluntas removet celicolas i. e. celum colentes deos . . . . . paganorum scilicet ab adiutorio meo . . . . . unde est quod maximus ordo deorum postposuit loca sodiaci i. e. circuli in quo dij picti habentur relinquunt sua loca quasi dicat ubi sunt modo dij sub quorum imperio disputavi in quibus semper speravi et si aliqui sunt quare me non defendunt phach video iam omnes dij dormiunt vel inebriati sunt per potum lethes i. e. oblivionis lethes enim grece oblivio valet latine inde lethergus i. e. obliviosus inde lethergia et est morbus oblivionis Postea pseustis hortatur diem ut cedat ne videatur ab alathia victus . . . . Et utitur colore qui dicitur repeticio vel conduplacio propter nimium affectum quia virgo scil. alathia nescit cedere scil. a certamine quin prius me vincat Et vult probare pseustis si non esset diversitas deorum seu plures dij tunc locus deorum i. e. signorum que signa a paganis pro dijs habebautur esset frustra et irregularis *Moraliter* Qui fabulam narrat nichil impetrat ut de rescriptis . . . . . Etiam qui falsos invocant deos decipiuntur *Allegorice* pseustis est populus israel qui cum invocavit deos alienos deo deus ulcionem in eum dimisit moyse existente in monte synay.]

Schwabius tribus usus est codicibus: 1) Guelferbytano, cod. membran. non ante saeculum XIII, ut Lessingio l. c. videtur, conscripto, forma quarta. Is codex pariter ac Cod. Paris. γ continet octo versus in fine additos; 2) Helmstadiensi, cod. chart., forma maxima, saeculo ineunte XV descripto, cuius lectiones variantes, ab editione Goldasti diversas, inseruit Leyserus historiae poetarum medii aevi; 3) Muelleriano, cod. chart., forma quarta et anno 1458 scripto, qui simillimus nostro codici v esse videtur, sed bonitate multo inferior. Hunc codicem designabimus *Cod. M.*

§. 6.

Editiones Theoduli exstant multae, quae fere omnes fine saeculi XV et initio saeculi XVI impressae sunt et perrarae. Recenset illas Christ. Schoettgen in continuat. biblioth. Fabricii med. et inf. latin. XIX. p. 592. cf. Maittaire Annal. typograph. T. I. p. 507. 551. 582. 605. T. V. 1. p. 12 et 2. p. 284. Nova miscell. Lips. T. VI. p. 127. T. VII. p. 711 sqq. Fabricii B. L. lib. 19. p. 654. Biblioth. Barberian. P. II. p. 454. Pfeiffer, Beytraege T. II. p. 260. Enumerabimus eas primum, quarum lectiones variantes a Schwabio comparatae sunt: 1) Editio Lipsiensis, per Conradum Kacheloven. 1492; 2) Editio Coloniensis, per Henricum Quentell. 1492, tercio nonas Septembris, forma quarta; 3) Editio Goldasti in eiusdem „*manuali biblico*" seu „*enchiridio sacrae scripturae.*" Frf. 1620. p. 22 sqq., quam editionem cum codice MS. academiae Iuliae contulit Leyserus (cf. supra); 4) Editio Vetus s. a. et l. forma quarta, quam, licet eundem foliorum numerum et plurima habentem similia editioni descriptae a Freytagio in §. 2, nihilominus diversam ab ea agnovisse sibi videbatur Schwabius. Sequuntur caeterae editiones:

Editio princeps 1481. 4. (v. Catal. biblioth. Petav. p. 285.)

Theodolus cum commento. 4. In fine leguntur haec: *Succintissima explanatio Theodoli finit feliciter. Impressum Rothomagi per Iacobum le forestier commorantem ad insignium tegule auree iuxta conventum augustinorum.*

Theodolus cum commento. 4. In fine haec: *Impressum per Laurentium hostingue et Iametum louys, commorantes Rothomagi pro Iacobo le forestier, hac in urbe in intersignio tegule aurate: iuxta conventum augustinorum commorante.* Commentarius huius editionis idem est cum antecedente et duobus sequentibus.

Theodulus cum commento. 4. In fine haec: *Optimo et acutissimo ingenio viri insignis magistri Odonis natione Picardi in Theodulum succinctissima explanatio finit feliciter. Impressaque Parisii per Petrum Levet.* 1488. *die XII. Ianuarii.*

Theodulus cum commento. Lugd. 1494. Fol.

Auctores octo opusculorum (Cato, Theodolus, Facetus, Cartula, Thobias, Alanus, Esopus, Floretus). Lugd. 1488. die ultima Decembris.

Ei. per Ioh. Dupre. Lugd. 1489. 4.

Ecloga Theoduli. Liptkz per Conr. Kacheloven. 1489. 4.

Ei. cum commento. Col. 1494. 4. Idem 1495 per Henr. Quentell.

Auctores octo opusc. cum commentariis diligentissime emendati. Lugd. 1494. Fol.

Ei. per Stephanum Baland. Lugd. 1505. 4.

Auctores octo morales. Lugd. 1507. Fol. 1520. 4.

Liber Theodoli cum commento noviter impressus. Lond. 1508. 4. (v. Catal. Biblioth. Bodlei.)

Theoduli liber cum commento: impensis Wynandi de Worde. Lond. 1515. die X mensis Martii. 4.

Editio Ioannis Kaenerii cum libro de contemtu mundi. Lugd. 1538. 8.

Auctores octo morales cum appendicibus. Lugd. 1538. 8.
Theoduli duellum. Lugd. 1578. 8.
Editio Frf. 1608. 8.

Theoduli ecloga, edidit I. G. S. Schwabe. Altenb. 1773. 8. Huic editori sane gratiae habendae sunt, quod scriptorem in bibliothecarum solummodo aliquot tenebris latentem in manus hominum reduxerit. Neque in edendo se praebuit indiligentem, ut qui e multis scriptoribus haud contemnenda collegerit; sed nihil quicquam protulit, quod ipsi sit proprium neque ab aliis ante eum fuerit prolatum. Deinde infausta fortuna incidit in codices permalos, quorum aberrationes relatu nobis videbantur indignae: sed selegimus tantum ex ipsius apparatu, quae alicuius poterant esse momenti. Denique perpauca explicuit et ea fere, quae non magnam difficultatem offerebant. Neque mihi iam in urbe peregrina otium erat commentarium concinnandi, etsi hic illic, in locis difficilibus, aliqua adspersi, quae lectorem ad veram, ut opinor, mentem Theoduli ducere queant.

§. 7.

Verum ut aliqua certe exstent commentariorum, de quibus dixi, manu exaratorum specimina, excerpsi atque hic ponenda duxi illa, quae, etsi nugacissima, tamen ex fontibus hausta essent reconditioribus et quorum, ni fallor, aliquis usus possit esse ad alias quaestiones, quas nunc iam non tracto. Ad v. 36. „*Pythagorae numerus*" anonymus codicis α: „Pythagoras, cum iuxta fabricam quandam trans- „iret, audivit tres fabros, super unam incudem malleis „percutiendis, quibus addidit quartum, a quo numero prin- „cipales quatuor toni artis musicae reperti sunt, et ideo „dicit tetras numerum illos imitari carmine versuum." Alexander de Sto Albano: „Pythagoras dicitur invenisse hunc „numerum, quia quadam die, dum transiret iuxta fabricam „cuiusdam fabri, audivit tres fabros fabricantes, et unus „martellus erat maior alio, et non concordabant, quare „quartum addidit et iuxta sonum illum invenit quatuor

„principales musicae artis i. e. dyatesseron, dyapendion „etc." — Ad v. 37 — 40 Alexander de Sto Albano: „Sa- „turnus, primus deorum et hominum, in insula cretensi re- „gnavit, in cuius tempore saecula fuerint aurea, qui au- „tem in quadam nocte somniavit, vel, ut quidam dicunt, au- „divit a responsis suis, se geniturum filium, qui se expelle- „ret a regno suo; praecepit ergo Cybelae vel Opi, uxori suae, „ut, quicquid pareret, coram se venire faceret. Tandem „pulcerrimum puerum peperit s. Iovem; sed ipsa, materna „pietate mota, albestum (sic), i. e. quoddam genus lapi- „dis*), pannis involutum, coram viro suo apponi fecit, „quem Saturnus devoravit. Iupiter vero adultus et in ne- „more quodam nutritus in patrem surrexit et ei testicu- „los amputavit, e quibus in mari proiectis ex illis et ex „spumis marinis nata est Venus. Postea patrem expulit, „qui in Latium s. in Italiam susceptus est, unde dicitur „Latium a Saturno ibi latente, unde in Ovidio de Fastis [lib. I, v. 238]: „Dicta quae est Latium terra latente Deo." „Docuit autem ibi usum vitis et agriculturam Iano, filio „Pici, qui filius erat Fauni et Iliae et tanquam deus ha- „bebatur." Similiter anonymus codicis α.

Ad v. 39 anon. cod. α: „Sed hoc gratum ad fabulam „dicitur, quia Cognatus (sic) genuit Belum. Belus genuit „Stertem, unde Stertus dicitur, qui Stertes primo invenit „usum stercoricandi agros.**) Hoc testatur Augustinus in „libro de civitate Dei. Stertes genuit Celium, Celius „genuit Saturnum, Saturnus Iovem . . . . Secundum „fabulas dicitur et non secundum genologiam (sic) q. d. „Saturnus non habuit patrem, et hoc est falsum, quia nos

---

*) Mythogr. Vat. edid. G. H. Bode (Cellis 1834. 8.) p. 256, 17.: „Tandem nato Iove mirae pulchritudinis, ipsius miserta, mi- „sit Saturno lapidem nomine ABIDIR, quem pulveratum devora- „vit." cf. Prisc. 5, p. 647, 47. 689, 45 et 747, 14. Gr. βαίτυλος.

**) Sterces praebent MSS. ap. Isidor. Origg. 17, 2, 3. et Glossaria Regiae bibl. De Stercuto stercorationis inventore v. ibid. cap. 1, §. 3. et Plin. Hist. Nat. 17, 9.

„habemus in genologia Delus genuit Belum, Belus Celiom, „Celius Saturnum, et habuit patrem."

Ad v. 41 — 44. Alexander: „Deus post eiectionem „Luciferi, qui voluit ponere sedem suam ad aquilonem et es-„se similis altissimo, voluit hominem participem fieri suae „bonitatis; hominem de limo terrae plasmavit in valle „Ebron sive Adam, et inspiravit in faciem eius spiracu-„lum vitae, posuitque eum in paradiso voluptatis, et im-„misit in eum soporem, et substraxit unam de costis eius, „ex qua fecit Evam." Similiter anon. cod. α.

Ad v. 45 — 49. Alexander: „Iupiter rex fuit Cre-„tae, qui, cum naturae debita solvere debuit, suos convo-„cavit familiares et praecepit eis, ut corpus suum in privato „loco sepelirent, cuius praecepto obedientes illum in loco „secreto sepelierunt. Multi autem hoc ignorantes putabant, „illum deificatum esse, unde alienigenae in Iovem credentes „arctabant Cretenses, ut eis Iovem ostenderent, qui coacti „sepulturam eius ostendebant. Illi autem caput mirabilis „staturae invenientes putabant, illud esse gigantis et non „Iovis. Hoc facto, id secum portabant et in muro posue-„runt, ubi adhuc est." Similiter anon. cod. α.

Ad v. 76. anon. cod. α: . . . . „Unde certi esse possumus, quod, dum Irim videre possumus intra quadraginta annos sequentes, non habebimus diem examinis, unde sancti tradunt"

. . . . „annis denis quater arche
„Iudicium ullius criminis arcus erit,
„Qui de sole nitet, Deus infert nubibus arcum,
„Ne rursus pereat nubibus omnis homo.
„Arcus, lex Domini, sol, Christus suntque prophetae
„Nubes, qui mundo verba beata pluunt."

Ad v. 84 anon. cod. α: „id est ille locus, qui Arme-„nia vocatus est, et hic dicta credatis esse vera. Ubi „enim applicuit archa Noae, illic etiam adhuc pars archae „est et fere omnia ligna, ex quibus fabricata fuit, ibi sunt."

Ad v. 93 — 97 Alexander: „Apollo fuit filius Iovis,

„qui filium habuit, cognomine Aesculapium, proprio vero „nomine Peon*), qui quadam die pergens spaciatim vidit „basiliscum contra pastorem dimicantem, unde nimium mi-„ratus est, pastorem posse resistere basilisco, cum basili-„scus sit tantae virtutis, quod solo visu hominem possit „interficere. Tandem Peon videns pastorem sertum haben-„tem floribus contextum, quare existimabat aliquam her-„bam esse in serto praedicto tantae potentiae, ut, dum „sertum secum ferret, nullatenus vinci posset a basilisco, „quare Peon rapuit pastori sertum, quo rapto et basiliscus „concubuit, victus, quo mortuo Peon singulas herbas in „ore ipsius defuncti posuit. Tandem pastor, potentia cuius-„dam herbi tactus, resuscitatus est; illam herbam consi-„derans multa miracula fecit. Peon ex eadem herba sa-„navit Ypolitum (sic), unde Virbius dictus est. Sed Iu-„piter hoc videns, invidia motus, ipsum fulminavit, quo „interfecto Apollo, pater eius, Cyclopibus, qui fulmina Io-„vis fabricaverunt, mortem filii sui imputavit, quosdam in-„terficiens, qua de causa deitate sua spoliatus est et a „Iove, patre suo, relegatus est; ab Admeto rege susceptus „pastor eius factus est."

Ad v. 215 anon. cod. α: „Nota, quod quidam dicunt, „quod idem est Perseus et Bellerophon, et ita non varia-„tur fabula: sed melius dicamus, quod auctor duas fabu-„las tangit, de Bellerophonte, qui Chimaeram devicit, et „de Perseo, qui Medusam interfecit." Similiter Alexander.

Ad v. 221 — 25 Alexander: „Memnon in bello Tro-„iano interfectus est et in Retheo (sic) monte mater eius „s. Aurora eum sepelivit; quod autem aves festum eius „celebrant singulis annis, nihil aliud est quam quod aves „in illo promontorio nidificant et cantulenas exercent. Ful-„gentius aliter sentit, dicens, quod, quando mater Memno-

*) Anon. cod. α, qui narrat haec iisdem fere verbis, habet „Phe-„ton," et ita Mythogr. Vat. p. 37, 36. „Apollo cum Clyme-„ne Phaëtonta s. Eridanum dicitur genuisse, qui suscitavit Hip-„politum occisum."

„nis ibi filium suum sepelivit, volucres afferunt ignotae „transsemites, sed tantus fuit ibi fumus et rogus in com- „burendo corpus Memnonis, quod vix aves transierunt; „duae autem aves ceciderunt ad terram propter fumum. „Mater vero Memnonis existimans, eas esse animam filii „sui, duas aves singulis annis sacrificari fecit in honore „filii sui." Similiter anon. cod. *α*.

Ad v. 320 anon. cod. *α*: „Claudianus vel Declarius eam „(imaginem Palladis, Romae palladium) semel vidit et ex- „caecatus est."

Ad v. 323 Alexander: „Super hoc enigma multae sunt „expositiones. Dicit nempe Bernardus, quod quidam divi- „nator fuit Celius nomine, qui quoddam plaustrum habuit „in loco privato terramque super illud posuit in quadam „fovea ita ut axis erat oneratus terra, et hoc enigma trans- „euntibus praeponebat, quod, dum solvere nesciebant, „ipse solvit, dicens, quod terra erat altior axe coeli i. e. „Celii apocope; vel aliter et melius. Deus, quando for- „mavit Adam, quendam locum pretiosum sibi appropriavit „sive terrestrem paradisum, et illum super lunarem glo- „bum posuit hac ratione, quod si diluvium inundaret, vel „aliquod periculum esset ad illum locum venire non pos- „set, et in illo loco erant Adam et Eva, donec praeceptum „Domini fregerunt, et ita terra est super axem celi i. e. „super lunare corpus; vel potest intelligi de virgine Maria, „corpus cuius celos ascendit; vel de Deo potest intelligi." Similiter anon. cod. *α*.

Denique animus erat adiicere, quomodo exposuerit Alexander, qua in re similia sint Pseustae dicta et responsa Alethiae, vel, ut ipse loquitur, quae sit ubique convenientia vel concordantia fabulae et historiae: sed quod chartam pro utilitate nimiam haec poscerent, consultius, opinor, haec omisi. Scripsi Parisiis mense Septembre 1835.

Augustus Beck.

Aethiopum terras iam fervida torruit aestas,
In cancro solis dum volvitur aureus axis;
Compuleratque suas tiliae sub amoena capellas
Natus ab Athenis pastor, cognomine Pseustis:
Pellis pantherae cui corpus texit utrinque
Discolor, et rigidas perflavit fistula buccas,
Emittens sonitum per mille foramina vocum.
Ad fontem iuxta pascebat oves Alithia,
Virgo decora nimis David de semine regis,
Cuius habens citharam fluvii percussit ad undam.

v. 1. *iam*] Sic omnes Codd. Solus cod. Fabricii (v. Bibl. Graec. Vol. X. Lib. V. cap. 45. p. 546.) *cum*. — v. 2. *In*] Ita omnes. Editio Goldasti *iam*. — Cod. Marburg. *aureus volvitur*. — v. 3. *amoena*] Editio antiqua apud Freytagium in Appar. litter. T. I. p. 499. *umbra*. Marb. *caprellas*. — v. 4. *cognomine*] Marb. *nomine*. — v. 5. *cui*] Marb. *cuius*. — *utrinque*] Sic Cod. Guelferbytanus et editt. Col. et Lips. Codd. Par. *ν* et *γ*, ubi gl. „ante et retro." In reliquis Codd. et editionibus, quibus Schwab. usus est, male legitur *utrumque*. In Codd. Par. *αβεο* *utrumque* a sec. m. mutatum est in *utrinque*. — Pantherae pellem discolorem non temere tribui Pseustae, e re ipsa apparet; varia enim et ποικίλα sunt dicta hominum mendacium, at ἁπλοῦς ὁ τῆς ἀληθείας μῦθος, ut sermone utar Eurip. Phoeniss. 469. — v. 6. *rigidas*] In Par. *β* legitur *varias*, illo supra scripto. — Secundum rei naturam dicendae sunt buccae perflare fistulam; at fistula perflare non potest buccam. Enallage est, exclamabant olim magistri; verum merito iam respuuntur puerilia haec artificia, quibus omnia pro omnibus accipi et absurdissima quaeque rationis aliqua specie possunt indui. Fistula buccas perflare dicitur, quia ipsa sumta causa est inflandi ac, ipsa quasi auctore, buccae vento implentur. — v. 8. *Ad*] Sic omnes Codd. praeter Guelferb., qui habet *at*, quod sequitur Schwab. — *Alithia*] Par. *α* *alicia*; *β* *alitia*; *γ* *alechia*; *o* et *ν* *alatia*; *ε* *allicia*. — v. 10. *ad undam*] „Col. et Lips. volunt *ad undas*." Schwab.

Substiterat fluvius, tanta dulcedine captus,
Auscultando quasi modulantis carmina plectri:
Ipseque balantum grex obliviscitur esum.
Non tulerat Pseustis, sed, motus felle doloris,
Littoris alterius proclamat ab aggere tutus:
Cur Alithia canis rebus stultissima mutis?
Si iuvat, ut vincas, mecum certare potestas.
Fistula nostra tuum, si vincas, cedet in usum:
Victa dabis citharam; legem coeamus in aequam.
Illa refert: Nec dicta movent, nec praemia mulcent
Me tua nunc adeo, quia vulnere mordeor uno:
Quo res cunque cadit, nisi testis sedulus adsit,
Si victus fueris, non me vicisse fateris.
Sed quia mutari nescit sententia veri,
En adaquare gregem, simul et relevare calorem
Nostra venit Phronesis: sedeat pro iudice nobis.
Pseustis ad haec: Video, quod eam sors obtulit ultro:
Huc ades, o Phronesi: nam sufficit hora diei,

v. 11. *Substiterat*] In Par. α et γ *sustit.* — v. 12. *Auscultando*] Par. αβεο et ν *ascult.* — v. 13. *balantum*] Marb. *ballantum.* — v. 14. *Non tulerat*] Edit. Goldasti: *non tulit haec.* — *doloris*] In Codice M. pariter ac editt. Col. et Lips. *draconis.* — *felle*] Marb. *velle.* — v. 16. *Rebus mutis*] tanquam scopulis, arboribus; mihi potius, inquit, cane, qui audire, qui respondere possum. — v. 17. *mecum*] Ita Par. βγο et ν, caeteri *mecum est*, quod Schwab. in textu retinuit. — v. 18. *si vincas, cedet*] Par. β *si vinces cedet.* Cod. M. *si vincas, cedat.* Schwab. *cedet, si vincis*; ita etiam Par. ε. *Cedat si vincis* habet Par. γ. — *nostra . . cedet*] Marb. *mea . . cedat.* — v. 19. *coeamus*] Par. αβε et ο *coheamus*, Cod. Guelferb. et Schwab. *calcamus.* — *aequam*] Ita omnes praeter Goldastum, qui vult *unam.* — v. 20. *movent*] Par. β *monent.* — v. 21. *nunc*] Par. β *non*; γ *sed.* — *quia*] Par. β a pr. m. *quasi.* — *mordeor*] Par. β *mordear.* Marb. *quum mordear.* — *uno*] Par. β a pr. m. *ullo.* Cod. M. *una.* — v. 22. *cadit*] Cod. Guelferb. *cadat.* — *nisi testis*] Ita omnes Codd. Par. et Cod. M. in quo versus 23. praecedenti exstat prior. Marb. *quo res cunque dabit . . . . assit.* Schwab. *testis ni.* — v. 23. *non me*] Editt. Lips. et Col. *me non.* — v. 25. *adaquare*] Marb. *adequare.* — Infinitivi graeco usu pro supinis, *aquatum, relevatum.* — v. 26. *Phronesis*] Marb. *fronsis.* — v. 27. *ad haec*] Cod. M. *ad hoc.* Glossae in Cod. Guelferb. et Par. α, Goldast. et Schwab. *ait.* Cod. Par. 8259: *ait haec.* — *eam sors*] Marb. *sors eam.* — *obtulit*] Sic etiam commentarius in Par. α. In textu est *detulit*, quod habent Goldast. et edit. Lond. Par. ν habet *aptulit.* — v. 28. *ades*] Marb. *addes.* — Hora diei, meridies, quem requieti dant pastores. Multi de hac re loci in poetis bucolicis.

Ut tua iam nostro postponas seria ludo.
Tunc mater Phronesis: Adaquato me grege quamvis
Accelerare domum iussisset uterque parentum,
Nec dubito poenas, si quicquam tardo, paratas:
Laeta feram, talis praesumens gaudia litis.
Perge prior, Pseusti, quia masculus; illa sequaci
Aequabit studio. Sit tetras in ordine vestro,
Pythagorae numerus: sol augeat, obsecro, tempus.

P S E U S T I S.

Primus Cretaeis Saturnus venit ab oris,
Aurea per cunctas disponens saecula terras:
Nullus ei genitor, nec quisquam tempore maior;
Ipso gaudet avo superum generosa propago.

A L I T H I A.

Incola primus homo fuit in viridi paradiso,
Coniuge vipereum donec suadente venenum
Hausit, eo cunctis miscendo pocula mortis:
Sentit adhuc proles, quod commisere parentes.

P S E U S T I S.

Splendorem tanti non passus Iupiter auri
Expulit illatis patrem crudeliter armis:
Discolor argento mundi successit imago,
Et iam primatum dedit illi curia divum.

v. 30. *Tunc mater*] Par. β *Inquit ad haec.* — v. 31. *iussisset*] Marb. *iussit.* — v. 32. *Nec dubito*] Par. α et ο, editt. Lond. et Goldasti *non dubito.* Commentarius ad Par. α *non dubitam.* Cod. Helmstad. *ne dubitem.* Cod. Guelferb. et Schwab. *nec dubitem.* — In edit. Col. v. 24—29. post versum 33. repetuntur. — v. 33. *Laeta feram*] Marb. *fero libens* (in marg. *leta feram*). — v. 34. *Pseusti*] Par. ε *Pseustis.* — v. 35. *aequabit*] Marb. *aequavit.* — *Sit tetras*] Sic omnes Codd. Par. praeter γ, qui habet cum Schwabio *tetras sit.* — v. 38. *terras*] Cod. M. *terrae.* — In Par. β versus 40. praecedit versum 39. — *Disponens*, ubicunque instituens. — v. 40. *ipso*] Marb. *tali.* — *superum*] Marb. *supperum.* — v. 42. *vipereum*] Marb. *viperio.* — v. 44. *quod*] Edit. Goldasti *quae.* — v. 45. *tanti auri*] de aevo aureo. De his aevis omnia nota ex Hesiodo et Ovidio. — v. 46. *Expulit*] Par. ε *exuit.* — v. 47. *argento*] Ita Cod. M. et Par. αβεο et ν. Ceteri legunt cum Schwab. *argenti.* — *Argento* ille est ablativus, qui adiectivum accuratius definit; quasi discolor ob argentum; quia argentea est, discolor priori, quae fuit aurea. — *mundi*] Par. γ et ε *mundo.* — *successit*] Edit. Goldasti *lucescit.*

A L I T H I A.

Exulat eiectus de sede pia protoplastus,
Ac cinis in cinerem naturae mutat honorem;
Ne tamen aeterni temeremur stipite pomi,
Flammeus ante fores vetat ensis adire volentes.

P S E U S T I S.

Egregio Cecropi debetur causa litandi:
Ille, bovis primo rimatus viscera ferro,
Sacra Iovi statuit, quae posteritas celebravit;
Condidit Athenas: adiuvit nomine Pallas.

A L I T H I A.

Immolat ante Deum Cain de semine frugum;
Frater Abel iustus dedit acceptabile munus,
Sponte ferens agnum: talis decet hostia Christum;
Ense cadit fratris, loquitur post funera sanguis.

P S E U S T I S.

Lycaon Arcas caelestes provocat iras,
Quando suas aedes invasit Iupiter hospes,
Fallere tentando numen Iovis: exuit ergo
Corpus et os hominis: saevit lupus asper in arvis.

A L I T H I A.

Enoch, iustitiae polluto cultor in orbe,
Raptus de terra nulli comparuit ultra,

v. 50. *Ac*] Codd. Guelferb. et Par. γ *at.* — De mortalitate Adami lapsu hominibus iniecta haec capio; *naturae honor* est primitivum illud perpetuae vitae decus, quo Deus creata instruxerat, in cinerem ruens culpa *cineris*, i. e. hominis qui cinis est. — v. 51. *aeterni* nominativus plur. est. — *temeremur*] Marb. *teneremur.* — *stipite*] Par. γ *de stipite.* — *pomi*] Col. et Par. γ *poni.* — v. 52. *volentes*] Codd. Guelferb. et Par. α *nolentes.* — v. 53. *Cecropi*] Par. βγεvο et Col. *Cycropi.* Par. α *Cicrapi.* Marb. *Ciciroppi.* — *causa*] Par. γ *cura.* — v. 54. *bovis*] Edit. Goldasti *bonus.* Marb. *bonis.* — *primo*] Par. ε *primus.* — *rimatus*] Codd. Helmst. et M. et Par. α (glossa *rimatus*) εο et v *rimatur.* — v. 55. *Iovi*] Edit. Goldasti *Iovis.* — v. 56. *adiuvit*] Par. v *audivit.* — *adiuvit*, repete Athenas. — v. 57. *Cain*] Par. ε et v *Caym*; β et γ *Chaim.* — v. 60. *sanguis*] Par. β *mortis.* Supra scriptum est *sanguis.* — v. 61. *Lycaon*] Par. αε et v *Lichaon.* Schwab. *Lychaon.* Par. β et γ *Licaon*, et ita mutavit docta manus in Cod. Guelferb. — *Arcas*] Par. αεv et ο *Archas.* — v. 62. *invasit*] Par. β *intravit.* — *Suas* pro eius, ut nonnunquam in scriptoribus post argenteam aetatem. — v. 63. *numen*] Marb. *nomen.* — v. 65. *Enoch*] Par. β et v *Enoc.*

Iudicis adventum fidens athleta secundum;
Leviathan contra socio praecedet Helia.

P S E U S T I S.

Venit ab Oceano submergens cuncta vorago;
Tellus cessit aquae, periit, quod vixerat, omne:
Deucalion homines, praeter quem nemo superstes,
Cum Pyrrha iactis renovavit coniuge saxis.

A L I T H I A.

Ultio digna Dei fontes dirupit abyssi,
Octavum Noë servans in partibus arcae:
Amodo ne talem patiantur saecula cladem,
Visibus humanis per nubila panditur iris.

P S E U S T I S.

Idaeos lepores puer exagitat Ganymedes,
Quem Iovis arreptum devexit in aethera sursum
Armiger; ablato divum concesserat ordo
Nomen pincernae, quod possedit prius Hebe.

A L I T H I A.

Corvum perfidiae damnant animalia quaeque,
Nuntius inclusis quia noluit esse salutis;

v. 67. *fidens*] Par. αβγ Lips. et Col. et Schwab. *videns.* — *Fidens* in vetustiorum auctorum nullo invenimus cum accusativo coniunctum, sed ab infinitivo, quem *fidere* nonnunquam habet, facilis est transitus ad accusativum, ut norunt veterum linguarum scientes. — v. 68. *Leviathan*] Par. ο et v *Leviatan.* — *Helia*] Par. ο *Ehelya*, α et v *Helya.* — v. 69. *Oceano*] Marb. *occeano.* — v. 70. *vixerat*] Par. γ *visserat.* — v. 71. *praeter quem*] Codd. Guelferb. et M. *propter.* Par. α et Col. et Lips. *praeter-quam*, quod ferri possit, si parenthesi includas. — v. 72. *Pyrrha*] Par. εο et v *Pirra.* — *renovavit*] Cod. Helmst. et Lips. et Schwab. et Par. β et ο *revocavit.* conf. v. 198. Marb. *revocavit coniugis.* — v. 73. *dirupit*] Marb. *dirumpit.* — v. 74. *Noë*] deest in Col. Schwab. falso *Noae.* — *in partibus arcae*] Marb. *impartibus arche.* — v. 75. *Amodo*] Par. ο et v et Marb. *ammodo.* Cod. Helmst. *an modo.* Schwab. *Amodo.* — *Amodo* in Lexicis indicatur cum una significatione ἀπαρτί, ilico. Ex hoc loco apparet dictum etiam fuisse pro *exinde, in posterum.* — v. 78. *arreptum*] Par. γ *arrectum.* — *devexit*] Marb. *deduxit* (sec. man. *devexit*). — *in*] Par. β et Col. et Lips. *ad.* — *aethera*] Cod. M. *aera.* — *sursum*] Par. β a pr. m. *fucum*; a sec. m. *surcum.* — v. 79. *ablato*] Par. ε *oblato.* — v. 80. *possedit*] Par. γ a sec. m. *possidat.*

Ore columba suo ramum viridantibus ultro
Detulerat foliis: superest Armenia testis.

P S E U S T I S.

Surrexere viri, terra genitrice creati,
Pellere caelicolas fuit omnibus una voluntas:
Mons cumulat montem, sed totum Mulciber hostem
Fulmine deiectum Vulcani trusit in antrum.

A L I T H I A.

Posteritas Adae summa Babylonis in arce
Turrim construxit, quae caelum tangere possit.
Excitat ira Deum: confusio fit labiorum:
Disperguntur ibi: nomen non excidit urbi.

P S E U S T I S.

Fulmina Cyclopes Iovis imperio fabricantes,
Paeone percusso, morti decrevit Apollo;
Mox deitate sua superum spoliatus in ira
Admeti curam pecoris suscepit agendam.

A L I T H I A.

Limite iussus Abram patrio discedere, Sarram
Adsumsit sine spe sobolis sibi concipiendae:

v. 83. *viridantibus*] Sic recte Par. ε et Guelferb. Codd. M. Helmst. et Par. *αβγον* Marb. et vet. edit. *viridentibus*, quae formatio possit esse ex aetate scriptoris. Schwab. et reliqui *virentibus*. — v. 84. *Detulerat*] Par. β et Col. et Lips. et Schwab. *attulerat*. — *Superest Armenia testis*. Ibi enim ex antiquo tempore servabantur Archae reliquiae. Quarto saeculo exeunte Chrysostomus (homilia de perfecta caritate Vol. VI. p. 296. E. ed. Montf.): *Οὐχὶ καὶ τὰ ὄρη μαρτυρεῖ τῆς Ἀρμενίας* (de communi diluvii pernicie), *ἔνθα ἡ κιβωτὸς ἱδρύθη; οὐχὶ καὶ τὰ λείψανα αὐτῆς ἕως νῦν ἐκεῖ σώζεται πρὸς ἡμετέραν ὑπόμνησιν;* — v. 87. *cumulat*] Par. γ *tumulat*. — v. 88. *deiectum Vulcani*] Marb. *deiecto ... fulcani*. — *trusit*] Par. ν *misit*. Cod. M. et Par. γ *detrusit*. — v. 92. *Nomen non excidit urbi*, i. e. nomen (confusionem significans) urbi mansit. — v. 93. *Fulmina*] Marb. *flumina*. — v. 94. *Paeone*] Marb. *peyone*. — v. 95. *ira*] Par. γ *iram*. — v. 96. *pecoris*] Edit. vet. *pecori*. Marb. *peccoris*. — v. 97. *Limite*] Par. β *lumine*. — *Abram*] Par. γ *Abraam*; α et ε *Abraham*. — *patrio*] Cod. Helmst. *proprio*. — *Sarram*] Schwab. *Saram*. Omnes Codd. Par. recte *Sarram*. — Multa de *Sara* et *Sarra* Chrysostomus disseruit in homiliis de nominum mutatione. — v. 98. *Adsumsit*] Par. β *Assensit*. Marb. *assumpsit*. — *spe*] Par. γ *spes*. — *sobolis*] Par. β *prolis*. — *concipiendae*] Par. γ *suscipiendus*, Par. o *percipiendae*.

Tandem confectis aetate creatur herilis
Filius, et lactat, sua quam natura gravabat.

P S E U S T I S.

Daedalus aptatis liquidum secat aëra pennis;
Filius insequitur: fragilis sed cera liquatur,
Et cadit in pelagus, gemuit sub pondere fluctus:
Ille sui compos brumales attigit Arctos.

A L I T H I A.

Heredis forma non est motus patriarcha,
Quin mactaret eum, nisi vox emissa deorsum
Parcere iussisset: rapitur, qui cornibus haeret,
In dumis aries: patrem sequitur sua proles.

P S E U S T I S.

Phyllis, amore gravi Demophontis capta superbi,
Mutat flebiliter rigidum pro corpore suber:
Ille reversus eo, truncum rigat ore supino,
Occurrit foliis, ceu senserit oscula Phyllis.

A L I T H I A.

In cincerem Sodomas solvens divina potestas,
Ob pactum patrui Loth parcere cogitat uni;
Servat eum Segor, sed perfida vertitur uxor
In salis effigiem; lambunt animalia cautem.

v. 100. *et*] Marb. *quem*. — *et lactat*] Par. γ *allactat*. — *gravabat*] Cod. Guelferb. *negabat*, emendationem interlinearem autem adiecit d. m. — Haec ita strue: lactat (puerum ea) quam sua (propria) natura gravabat, i.e. mater grandaeva. — v. 101. *aptatis*] Par. γ *optatis*. — v. 102. *fragilis sed*] Marb. *sed frag*. — v. 103. *Et cadit*] Col. et Lips. *decidit*. — *pelagus*] Par. γ *pelago*. — *gemuit*] Cod. Helmst. *genuit*. Lond. *gemit*. Par. β *gemit eius* pro *gemuit sub*. — v. 104. *Ille*] Cod. M. *ipse*. — *brumales*] Col. *boreales*. — *Arctos*] Marb. *arcus*. — v. 107. *rapitur*] Ita omnes Codd. Par. ν habet superscriptum *capitur*, quod est in editt. Col. et Lips. et Schwab. — v. 108. *patrem sequitur*] Cod. Guelferb., Marb. et M. et Par. β *sequitur patrem*. — *Mutat suber*, mutando (corpus) induit. Bene eum usum verbi *mutare* illustravit Heindorf ad Horatii Sat. II, 7, 110. p. 423. — v. 112. *ceu*] Vet. edit. *ut*. Cod. Guelferb., M. et Par. α et o *seu*, factum, ut mihi videtur, e *senserit* omisso *ceu*. — *senserit*] Sic Codd. Guelferb., M. et Par. α et edit. Goldasti; reliqui habent *senserat*, quod tamen minus placet. Marb. *sic senserat*. — v. 113. *Sodomas*] Par. γ *Sodomam*. — *solvens*] Cod. Helmstad. et Schwab. *vertit*. Marb. *vertens*. — v. 114. *Loth parcere cogitat uni*] Cod. Guelferb. *Loth cogitat parcere soli*. — v. 115. *Segor*] Par. γ *Sogor*. — *perfida*] Marb. *pervida*.

P S E U S T I S.

Argolicas contra bellans acies Cytherea
Tydidae manibus grave pertulerat dea vulnus;
Deplorant socii commissa ducis furiosi;
Nam facti volucres acuunt pro dentibus ungues.

A L I T H I A.

Congressus domino Iacob luctamine longo
Nervos amisit femoris, dum cedere nescit:
Quam plagam veluti gemit evenisse parenti,
Non comedit nervum successio tota nepotum.

P S E U S T I S.

Hippolytus saeva perit accusante noverca,
Distractus bigis, phocas agitantibus undis.
Damna pudicitiae non pertulit ira Dianae,
Hippolytum revocat, qui nomine Virbius exstat.

A L I T H I A.

Venditus in servum Ioseph livore suorum,
Ardentis dominae dum spernit vota minasque,
Addictus vinclis discussit somnia regis,
Et subduntur ei totius regna Canopi.

P S E U S T I S.

Graecorum primus vestigat grammata Cadmus,
Postquam sevit humi dentes septemplicis hydri;

v. 117. *Cytherea*] Par. αγο et ν *citharea*. — v. 118. *Tydidae*] Marb. *Thitide*. — *dea*] deest in Cod. Guelferb. — *pertulerat dea vulnus*] Sic Codd. Par. αβ et γ et Col. et Lips., in reliquis *dea pertulerat grave vulnus*. — v. 121. *luctamine*] Col. et Lips. *certamine*. — v. 123. *gemit*] Par. α et β *gemat*. — v. 125. *perit*] Par. α *periit*. — v. 126. *distractus*] Cod. M., Guelferb. et Helmst. et Par. β et Schwab. *discerptus*. — *phocas*] Marb. *pfocas*. — *phocas*: immo monstrum marinum, vel certe κῆτος. — v. 127. *pertulit*] Marb. *protulit*. — v. 128. *qui*] Sic Codd. Helmst. et Par. γ et editt. Col. et Lips., in aliis occurrit *modo*. — *Virbius*] Marb. *viribus*. — v. 129. *Venditus*] Editt. vet. Goldasti, Lips. et Col. *venditur*. — *Ioseph*] Par. α *Iosep*. — v. 130. *spernit*] Par. ν et Lips. et Goldast. et Marb. *sprevit*. — v. 131. *Addictus*] Codd. Helmst., M., Par. αβγο et ν itemque Lips. *adductus*; Col. *adductis*; Cod. Guelferb. *abductus*, conf. v. 225. — *vinclis*] Marb *vinculis*. — *discussit*] Par. β *distinxit* (διέκρινεν); γ *discuxit* cum glossa „exposuit." — v. 132. *Et—ei*] Par. γ *Conceduntur ei*. — *Canopi*] Marb. *Canapi*. — v. 134. *sevit*] Par. β a pr. m. *semit*. — *septemplicis*] Marb. *sepduplicis*.

Quos necdum fato mersit fortuna sinistro:
Ne patiatur idem, se sibilat esse draconem.

A L I T H I A.

Raptus aquis Moyses magicas everterat artes;
Omnis cum regio timuit circumflua Nilo:
Eduxit cives, submersit fluctibus hostes.
Memphios exitium testatur adhuc mare rubrum.

P S E U S T I S.

Summa Iovis calidas Europae forma medullas
Movit, et in taurum deitatis vertit amictum:
Virgine stuprata non passus Agenoris arma
Nomen donat ei, quod habet pars tertia mundi.

A L I T H I A.

Insignem vitulum conflaverat ignis et aurum
Ex Aaron digitis; insanit turba rebellis:
Stirps Levi postquam Domini compescuit iram,
Pontificalis ei datur infula iure perenni.

P S E U S T I S.

Uxoris stimulos luis, Amphiaraë sacerdos,
Pectore flagrantis, dum splendet bacca monilis:
Hausit te subito specus ex Acheronte profundo,
Mactat eam tenebris orbatae dextera prolis.

v. 135. *necdum*] Codd. M., Helmst. et Par. β et ν *nondum*; Goldast. *mundum*. — v. 136. *sibilat*] Ita Lips. et Par. αβγ et ν. Par. γ glossa: „sibilando fingit." Immo sibilo vel sibilando exprimit. Codd. Guelferb. Helmst. M. Col. et Marb. *sibulat*. Caeteri cum Schwab. *simulat*. — v. 137. *Raptus*] Ed. Lips. *captus*. — *Moyses*] Par. β *Moises*. Schwab. *Moses*. — *everterat*] Par. γ *averterat*. Col. et Lips. *evellerat*. — v. 138. *cum*] Par. β a pr. m. *enim*. — v. 140. *exitium*] Vet. editio *excidium*. — *Memphios* de regio exercitu, quia Memphis Aegypti regia. — v. 141. *calidas ... medullas*] Marb. *callidas ... medulla*. — v. 143. *passus*] scil. Iuppiter. — v. 145. *conflaverat*] Par β *conflarat et*. — v. 146. *insanit*] Marb. *insevit*. — v. 149. *Amphiaraë*] Codd. Helmst. et Par. ο et ν *Amphioraë*. Marb. *Amphiroae*. — v. 150. *Flagrantis*] ignis instar splendentis. — v. 151. *Hausit te*] Cod. Guelferb. *te hausit*; Par. β *haurit te*; Cod. M. *haurit eum*; caeteri et Schwab. *Hausit eum*. — *Specus ex Acheronte*, scil. ortum, vel quasi emergens. — v. 152. *Mactat*] Codd. Guelferb. et Par. β *mandat*, et ita legit Schwab. — Vocabulum *tenebris* non sine difficultate est. Videtur debere iungi *prolis orbatae tenebris*, i. e. filii, patre orbati per tenebras, scil. Orci, qui genitorem hauserant.

A L I T H I A.

Fata Chorae miseri parere monent meliori,
Accipit infernus, quos devorat arida tellus:
Sed Deus occulte Moysen sepeliverat ipse,
Nec cuicunque hominum dedit indagare sepulcrum.

P S E U S T I S.

Ventilat oëstro decoratam cornibus Io
Iuno ferox, et ei tutelam deputat Argi;
Mugit pro verbis, horrentibus obsita setis,
Donec in effigiem rediit mutata priorem.

A L I T H I A.

Offensus Balaam calcaribus urget asellam:
Angelus occurrit, pecudem qui stare coëgit,
Res horrenda nimis! laxatur vox animalis,
Quae consuevit homo producere, verba loquendo.

P S E U S T I S.

Sufficeret thalamis ut Iupiter Amphitryonis,
Noctis opem placidae geminavit candida Phoebe:
Protinus Alcmena, licet indignante noverca,
Editus Alcides immissos strangulat angues.

A L I T H I A.

Victrici populo ne quondam vivida bello

v. 153. *Fata*] Edit. Goldasti *facta.* — *Chorae*] Cod. Guelferb. *Cori;* Par. β *Core.* — *monent*] Codd. Helmst. et Par. o et Lips. et Col. *iubent.* Marb. *facta thore … movent.* — v. 154. *quos*] Codd. Guelferb. M. et Par. o et ν *quem.* — *infernus*] Par. β a pr. m. *infenus.* — v. 155. *sepeliverat*] Marb. *sepelierat.* — v. 156. *Nec*] Par. γ *Hec.* — *hominum*] Cod. M. *homini;* Par. o *Nec cuiquam hominum.* Lips. et Col. *Nec cuiquam hoc hominum.* Marb. *nec quisquam hom.* — v. 157. *Ventilat*] Marb. *ventilatur oestro …… hyo.* — v. 158. *ferox*] Col. et Lips. *velox.* — *et*] omissum in Par. α. — v. 159. *obsita*] Edit. Goldasti *insita.* Codd. Par., Guelferb. et M. et Col. et Lips. observant hunc ordinem in positu versuum 159. et 160. Schwab. versum 160. posuit ante v. 159. Ne putes vitium in his inesse, cum contrarium historiae sonare videantur. Hoc dicit: *Tutelam Argi*, scil. ab Argo agendam, ei destinat, i. e. tutelae Argi eam tradit. — v. 161. *Offensus*] Col. et Lips. *commotus.* — *calcaribus*] Par. α *carcaribus.* — v. 163. *horrenda*] Ita legitur in omnibus praeter Col. et Lips., quae habent *miranda*, quod Schwab. posuit in textu. — v. 164. *prod. verba*] Marb. *verba prod.* — v. 166. *placidae*] Par. β *tacite.* — v. 167. *Alcmena*] Marb. *Alcinena.* — v. 168. *Editus*] Par. β *Emissus*, illo supra scripto. — *immissos*] Cod. Guelferb. *promissos;* Marb. *et imensos*, Par. α et β *emissos.* — v. 169. *Victrici*] Par. γ *Victori.* — *vivida*] Par. γ *invida.*

Deficeret virtus, Gabaon ad proelia Phoebus,
Imperio Iosuae stabat defixus in arce:
Quae sanctae fidei sint praemia, discite cuncti.

P S E U S T I S.

Alcidae vigilem spoliavit clava draconem;
Geryonis pompam rapit, et consumserat hydram.
Cacus cessit ei, succumbit ianitor orci:
Incendit demum pellex Deianira superbum.

A L I T H I A.

Sampson, exuviis indutus membra leonis,
Sternit mille viros, devastat vulpibus agros,
Urbis claustra tulit, nervorum vincula rupit:
Fraude sua tandem praecidit Dalida crinem.

P S E U S T I S.

Numina mille deum vatem defendite vestrum,
Qui colitis Ditem, qui stelliferam regionem,
Qui partes mundi, qui stagna sonantis abyssi,
Numina mille deum vatem defendite vestrum.

A L I T H I A.

Par idemque Deus, maiestas, gloria, virtus,
Quod fuit, est et erit, te collaudat, tibi servit,
Cui tres personae, tria nomina, tu sine fine,
Tu sine principio nos vincere falsa iubeto.

v. 170. *Deficeret*] Par. γ *deficerat.* — v. 172. *sint*] Codd. M. et Par. γ, Col. et Lips. *sunt.* — v. 173. *Alcidae*] Cod. Guelferb. et edit. Goldasti *Alcides.* — v. 174. *Geryonis*] Par. o *Gereonis.* — *consumserat*] Par. β a pr. m. *consummaverat.* — v. 175. *cessit*] Par. β *cedit.* — *orci*] Marb. *corti.* — v. 176. *incendit …*] Marb. *incedit ….. pelex dyanera.* — *superbum*] Cod. Guelferb. et Schwab. *virum.* Par. α habet versum 176. ante v. 175. — v. 177. *Sampson*] Par. αβν *Sanson.* — v. 178. *Sternit*] Codd. M. Helmst. et Marb. *stravit.* — *devastat*] Par. β a pr. m. *deiactat.* — v. 180. *praecidit*] Sic Par. αβο et ν et Col.; Par. γ *praecedit;* Lond. Goldast. et vet. *praescindit;* Schwab. cum caeteris *praescidit.* — *Dalida*] Ita extat in omnibus praeter Par. α, qui habet *Dallida*, et sic *Δαλιδά* LXX. in cod. Alexandrino, ed., Aldin. et Oxon.; sola Complutensis *Δαλιλά.* Schwab. *Delila.* — *Dalida* Chrysostomus etiam legit in ea, qua utebatur Veteris Testamenti recensione, quae diversa erat ab Alexandrina. Vide eius Synopsin Scripturae Sacrae, ubi de libro Iudicum. — v. 181. *Numina*] Codd. M. et Par. αβγν et Vet. et Lond. *nomina.* — v. 183. *sonantis*] Edit. Goldasti et Vet. *tonantis.* — v. 184. deest in Codd. Guelferb., Marb. et M. — v. 187. *tu*] Codd. Guelferb. et

P S E U S T I S.

Certavere sequi demissis frondibus orni
Orphea per silvas, modulantem carminis odas,
Eurydicen, motis qui regna tenent Acherontis,
Conditione gravi iussit Proserpina reddi.

A L I T H I A.

Ne regis corpus vexaret praedo malignus,
Chordarum musa puer adiuvit citharista,
Cuius erat studium pelles tondere bidentum,
Temporis articulo successit dextera sceptro.

P S E U S T I S.

Herbarum succos tractans Cyllenius heros
Exortes lucis virga revocavit ab umbris;
Arte potens tali credas ut cuncta fateri
Quem natum Maiae lactavit mamma novercae.

A L I T H I A.

Omnipotens Ididae poscenti dona Sophiae
Annuit in tantum, naturae vincat ut usum.

Par. *αo* et *ν* et Lond. et vet. *sunt*. Marb. *quis tres pers. tria nom. sunt* ... — v. 188. *nos*] Col. et Lips. *me*. — v. 189. *demissis*] Cod. Marb. Guelferb. et M. *dimissis*. — v. 191. *Eurydicen*] Marb. *Auridicen*. — *motis*] Lips. et Col. *monitis*. — *tenent*] Cod. Helmst. et Lips. *tenet*. — v. 193. *vexaret*] Marb. *vexerat*.— *Praedo malignus*, de daemone Saulum vexante, quem Davidis cithara abigebat. — v. 196. *sceptro*] Cod. Helmst. *regno*; Par. *γ securo*, explicans ita: „dextera" David, „securo" divino, regali; Par. *αβo ceptro*. Marb. *dextra sinistro*. — v. 197. *Cyllenius*] Vet. et Lond. *Silennius*; Goldast. *Silenius*; Lips. et Col. *Cillineus*. — *heros*] Edit. Goldasti *heres*. — v. 198. *Exortes*] Codd. Guelferb. et M. *exortos*; Par. *γ exerces*; Col., Lips. et Schwab. *expertes*. — *revocavit*] Editt. Goldasti et vet. *renovavit*. — *umbris*] Cod. M. *undis*. — v. 199. *credas ut*] Cod. Guelferb. et Lond. et vet. *ut credas*. Marb. *credas tu*. In Lond. et vet. hic est versuum ordo:

Arte potens tali ut credas cuncta fateri
Exortes lucis virga revocavit ab umbris.

v. 200. *Maiae*] Cod. Helmst. *magiae*. Par. *o* et *ν magae*. Par. *α* correxit *magae* in *maiae*.— *Quem*] Par. *β* a pr. m. *Quod*. — v. 201. *Ididae*] Cod. Guelferb. *id idem*; Codd. M. et Par. *α* et *ν ytide*; Lond. *ithide*; edit. Goldasti *itidem*; Cod. Helmst. *Tythidae*; Col. Lips. et vet. *itide*; Par. *γ octide*; Par. *o ythide*. Schwab. „Id est „Salomoni regi, a Nathane pro- „pheta adpellato *Iedidia* 2 Sam. „XII, 25. unde fortasse *Ididas*." Recte. LXX. *Ἰεδδεδί*. Cod. Alexandr. *Εἰεδιδιά*. Alius, qui commemoratur in Hexaplis, *Ἰεδδιδιά*, quod proxime accedit ad nostrum.— v. 202. *ut*] Codd. Helmst.

Praeditus ingenio decoravit moenia templo:
Confectum gazis evertit amor muliebris.

P S E U S T I S.

Gnossia quum raros quateret Dodona racemos,
Mater larga Ceres, miserata fame pereuntes,
Triptolemum mundo misit, serpente ministro,
Qui primum terrae spem demonstravit aristae.

A L I T H I A.

Nubes aethereas precibus obstruxit Helias,
Gramina nulla super madidus stillaret ut imber:
Pulsus humo patria bibit a torrente propheta,
Suffecit pastus, quem detulit adsecla corvus.

P S E U S T I S.

Gorgonis effigie mortalis vertitur ide;
Nam qui viderunt lapides quasi diriguerunt.
Bellerophon, monstro cum Palladis arte peremto,
Comit equi pennas, et se dimisit in auras.

et M. *in*. — v. 203. *decoravit*] Marb. *decoranti* (sec. m. *decoravit*). — v. 204. *Confectum*] Ita omnes Codd. Par. et Helmst. et M. et Lond. et vet. Par. *γ* habet glossam „plenum;" edit. Goldasti *contectum*. Col., Lips. et Schwab. *confertum*. — *evertit*] Par. *β pervertit*. Marb. *subvertit*. — v. 205. *quum*] Lond. Vet. et Goldast. *dum*.— *quateret*] Par. *γ quateberet*, in glossa *producerct*. — *Dodona*] Marb. *Dedona*. Miro errore Theodulus Dodonam, quae in Helladis continenti est, *Gnossiam* vocat, i. e. Cretensem. Iovis eum fabula fefellisse videtur, qui et Dodonaeus et Cretensis. — v. 207. *Triptolemum*] Codd. Guelferb. et M. *Triptolomum*; Par. *αγ* et *ν* et Lond. et Vet. *Tritolomum*; edit. Goldasti *Tritholomum*; Cod. Helmst. *Triptonium*; Par. *o* et Col. et Lips. *Triptholemum*. — v. 208. *primum*] Marb. *primo*.— *spem demonstravit*] Col. et Lips. *speciem monstravit*; Cod. Guelferb. *demonstravit*.— v. 209. *obstruxit*] Par. *β*, Col. et Lips. *construxit*, quod Par. *o* mutavit in *conclusit*. — *Helias*] Schwab. *Elias*. conf. v. 68. — v. 210. *imber*] Cod. Guelferb. *stillaret madidus imber*. — v. 211. *a*] Col. Lips. et Schwab. *ex*. — v. 212. *sufficit*] Edit. Goldasti *sufficiat*; Par. *γ sufficerat*. — *adsecla*] Marb. *assecla*. — v. 213. *ide*] Par. *γ inde*, in glossa „alta regina." Par. *β* habet glossam „iuvenis." *Ide* i. e. *ἰδέα*, forma. conf. Proleg. §. 4.— v. 214. *lapides quasi*] Lond. *quasi lapides*.— v. 215. *Bellerophon*] Cod. Guelferb. Lond. et Vet. *Bellorophon*; Codd. M. et Par. *o Belloforon*; Par. *ν Bellorofon*. Marb. *bellifero monstro*.— *monstro*, Chimaera.— v. 216. *dimisit*] Par. *β demisit*; Lips. et Schwab. et Par. *γ dimittit*.

ALITHIA.

Effugium terrae Iesabel obstruxit Heliae,
Quum distractus equis apparuit igneus axis:
Flammea, quae venit, vatem quadriga levavit.
Spiritus heredi geminatur amore magistri.

PSEUSTIS.

Tithonum thalamis dignans Aurora superbis
Augendo vitam mutavit in usque cicadam:
Exstinctum Troiae sepelivit Memnona longae,
Annua cuius aves venerantur festa frequentes.

ALITHIA.

Addictus morti faciem rigat imbre salubri
Rex Ezechias, et fati distulit horas.
Ne dubitaret item, se promeruisse salutem,
Lora sui currus retro sol flexit anhelus.

PSEUSTIS.

Excedit laudes hominum, qui primus agones
Instituit fieri sub vertice montis Olympi.
Ardua victrices obnubit laurea crines;
Ducit pompa domum, sequitur confusio victum.

v. 217. *Effugium*] Par. β a pr. m. *effigiem*. — *Iesabel*] Par. αβ et γ *Iezabel*. Marb. *gezabel*. — *obstruxit*] Par. β *construxit*, illo supra scripto; Par. o *restrinxit*, conf. v. 209. — *Heliae*] conf. v. 68. et 209. — v. 218. *igneus*] Cod. Helmst. *aureus*. — v. 219. *quadriga*] quamvis ab usu bonorum auctorum deflectat, hic illic tamen iam vetustiores posuerunt, ut Propertius, Martialis. — v. 220. *Spiritus*] sc. προφητείας, ut recte Schwabius. — v. 221. *Tithonum*] Par. ν et o et Schwab. *Thitonum*. Par. β a pr. m. *Triptolemum*. — v. 223. *Memnona*] Marb. *memnonem*, — *Troiae . . . longae*. Dixeris Theodulum meminisse Homeri, qui Troiam vocat εὐρεῖαν et εὐρυάγυιαν. *Longae* est i. q. magnae, minime vero „magnificae," uti Schwab.— v. 224. *aves*] Par. γ *Arimia*, in glossa „animalia." — *venerantur*] Par. γ *vernoantur*.— *frequentes*] Codd. Helmst. et M. *frequenter*. — v. 225. *Addictus*] Cod. Guelferb. *adductus*, quod habet etiam Par. α cum glossa „deductus", Par. ν mutavit „adductus" in „addictus;" Cod. M. *addictis*; conf. v. 131. — v. 226. *fati*] Par. β *fletu*, illo supra scripto. — v. 227. *item*] Cod. Helmst. *idem*. — *dubitaret*] Par. γ *dubitasset*. — v. 228. *retro sol flexit*] Cod. M. *sol retro flixit*; Par. ν et Goldast. Lond. Col. et Vet. *sol retro flexit*. Marb. *sol retro flectit*.— *currus*] Par. αγo et ν et Schwab. *cursus*. — v. 229. *qui primus*] Hercules, e nota Glossatorum in nostris codd. v. interpretes ad Pindarum multis locis.— v. 230. *Instituit*] Cod. M. et Lond. *constituit*. — v. 231. *Ardua*] Par. β *aurea*, illo supra scripto.— *obnubit*] Par. β *subnubit*. — v. 232. *Ducit*] Par. o *duxit*.

ALITHIA.

Occasum Iosiae deflebant oppida Iudae·
Mageddon campos fons detestatur et arbos;
Moerent morte sua leges et nobile pascha,
Omnis adhuc aetas, sed praecipue Ieremias.

PSEUSTIS.

Dum tonitrus simulat Salmon et fulmina quassat,
Lampade terrifica percurrens Elidis arva,
In medio pontis non passus Iupiter hostis
Comparis arma sui deiecerat igne minaci.

ALITHIA.

Inscius, esse Deum, nisi se, rex Assyriorum,
Rores et pluvias septem toleravit aristas,
Bestia factus homo: cunctis suadetur in illo,
Discant naturae contenti viribus esse.

PSEUSTIS.

Quadrupedes Phoebi quae cogit causa morari?
Experientur item Phaethontis saecula cladem.

v. 233. *Occasum*] Sic omnes Codd. et recte quidem. Col. Lips. et Schwab. legunt *casum*. — v. 234. *Mageddon*] Cod. Guelferb. *Macedos*; caeteri omnes *Macedonum* praeter Par. β, qui habet *Magedon*. Recte: nam 2 Paralip. XXXV, 22. LXX. Μαγεδδώ, Alexandrinus codex Μαγεδών, Complutensis editio Μαγεδδών. Posui igitur *Mageddon*. — *arbos*] Edit. Goldasti *agros*. — v. 235. *Moerent — sua*] Cod. Guelferb. et Schwab. *Morte sua moerent*.— v. 236. *Ieremias*] Col. et Lips. *Hyeremias*. In Vet. et Lond. versus 236. praecedit vers. 235. — v. 237. *Dum*] Codd. Guelferb. et M. *cum*. — *tonitrus*] Par. β *tonitrum*. — *simulat Salmon*] Marb. *similat et salomon*. — *Salmon*] Par. β et Lips. *Salomon*; edit. Goldasti *thalamo*. *Salmon*, qui alibi Salmoneus. Conf. Proleg. — *et*] Par. o *dum*. — v. 238. *Elidis*] Par. β *Elidos*. In edit. Lips. versus 239. praecedit v. 238. — v. 240. *arma*] Edit. Goldasti *arva*, quod Par. β a pr. m. habet. — v. 241. *Inscius*] Par. β *Nescius*. — *rex Assyriorum*] Nabugodonosor (sic) in glossa duorum codicum. — v. 242. *toleravit*] Marb. *tolleravit*. — *septem aristas*] pro per septem aristas, vel, ut Ovidius, segetes, i. e. per septem annos. — v. 245. *Phoebi*] Edit. Goldasti *Phoebum*. — *cogit*] Par. β *degit*.— *Quadrupedes*, equos, ut ipse Virgilius. — v. 246. *Experientur*] Cod. Guelferb. *expientur*; Cod. Helmst. *experietur*; Par. αν et Lond. et Vet. *experiuntur*. — *Phaethontis*] Codd. Guelferb. et M. *Pherontis*; edit. Goldasti *Pythonis*; Cod. Helmst. *Phatontis*; Par. ν et Col. et Lips. *Phetontis*. Marb. *Phehetontis*. — Iunge: saecula experientur Phaethontis cladem, i. e. huic aevo accidet quod Phaethonteo, quo equi solis errabant nec suo tempore ad terminum occidentis perveniebant.

Quid vesper cessas? saturarunt prata capellas:
Ruminat omne pecus: nescit procedere Phoebus.

A L I T H I A.

Visibus humanis famulantur lumina solis,
Fixa tenore suo, quem prima creavit origo.
Cur noctem revocas? quid vis? me fallere tentas;
Quod te destituunt vires, suspiria produnt.

P S E U S T I S.

Pignoris egregii speciem metuens violari
Acrisius seris obstruxit limina turris;
Et iam tecta super pluviam stillavit adulter
Virginis in gremium: Danaën corruperat aurum.

A L I T H I A.

In caveam missum non attigit ira leonum,
Quamvis passa famem, tutante Deo, Danielem
Signatis foribus, cui prandia detulit intus
Abacuc, uno transvectus regna capillo.

P S E U S T I S.

Thura cremate focis, si quos servare velitis
Fetus incolumes: iubet hoc Latonia proles.
Ex humero Triviae dependent spicula mille
Cum totidem nervis, Niobes vindicta loquacis.

v. 247. *saturarunt*] Par. γ *saturarent*. — *capellas*] Marb. et Col. *caprellas*. — v. 248. *procedere*] Par. α o et Lond. Vet. Goldast. Col. et Lips. *discedere*. — v. 249. *Visibus*] Edit. Goldasti *usibus*. — *famulantur — solis*] Cod. M. *pronubia panditur iris*. Par. γ *soli*. — v. 250. *quem*] Par. α *que*. — v. 251. *quid vis*] Ita Codd. Guelferb. et Par. γ et ν; Par. β *quid nunc*; caeteri *quamvis*. — v. 253. *speciem*] Ita omnes Codd. Par.; Schwab. *faciem*. — v. 254. *seris*] Par. ν *ceris*. — *limina*] Codd. Guelferb. et Par. β et edit. Goldast. *lumina*. — *turris*] Par. β a pr. m. *solis*. — v. 255. *Et*] Cod. Helmst. et Schwab. *sed*. — *pluviam stillavit adulter*] Marb. *madida stillavit ut ymber*. — v. 256. *Danaën*] Cod. M. Lond. et Vet. *Danes*; Par. γ *Dannem*; Codd. Guelferb. et Par. α β o ν et Col. et Lips. *Danem*; Edit. Goldasti *Danaen*; caeteri cum Schw. *Danaes*. — v. 257. *caveam*] Editt. Goldasti, Vet. et Lond. *foveam*. — v. 260. *Abacuc*] Par. β mutavit in *Abbacuc*; Schwab. *Habacuc*. — *uno*] Edit. Goldasti *solo*. — v. 262. *hoc*] Deest in Cod. M. — *Latonia*] Par. β *latoia*. — *Latonia proles*, Diana, quae et Ilithyia, Lucina. — v. 263. *humero*] Par. o *humeris*. — *Triviae*] Cod. M. *truvae*; Cod. Helmst. *tridie*; Col. et Lips. *cervae*. — v. 264. *loquacis*] Col. et Lips. *rebellis*.

A L I T H I A.

Presbyterum flammas nec longi temporis aetas,
Nec tanti sexus potuit restringere virtus;
Sed districta licet mortis sibi fata videret,
Quam natura dedit legem Susanna subegit.

P S E U S T I S.

Mens robusta viri levitate cadit muliebri:
Hippomanes tractant, gustu sua membra cruentant.
Femina quid possit, Terei domus aspera novit:
Scit Medea, suis infesta clade peremtis.

A L I T H I A.

Aëra ne foedent isthaec convicia, cessent.
Femineas vires expavit dux Holofernes,
Insignis viduae vesano captus amore.
Deflent Assyrii, quod crediderint mulieri.

P S E U S T I S.

Ardet Scylla toros, torquebat viscera Minos:
Purpureo veterem spoliavit crine parentem.
Sed contemta viro plumas capit, insita rostro;
Vexat ubique pater, curvis sonat unguibus aër.

v. 265. *Presbyterum*] Codd. Guelferb. et Par. ν et α cum glossa „presbyterorum" et edit. Vet. *presbyteris*; Par. γ et Col. et Lond. *presbyteri*. — *flammas*, ardorem cupiditatis. — v. 266. *tanti*] Par. β *tantum*. — *restringere*] Par. β *perstringere*. — v. 267. *districta*] Ita Codd. M. et Par. α γ ν et Col. et Lips.; editt. Lond. Vet. et Goldasti *distincta*; Marb. *distracta*; Schwab. cum caeteris *destricta*; Par. β habet hunc versum ita:

Sed natura licet sua fata perire videret.

v. 270. *Hippomanes*] Codd. Guelferb. et M. *Ypomines*; Marb. *Yppomines*; Par. α *Ypomenes*; Lond. *Hipomenes*. *Hippomanes* v. „Plin. H. N. VIII, 42. XXVIII, 11." Schwab. in Addendis. Adde interpretes Theocriti II. v. 48. — v. 271. *possit*] Marb. *poscit*. — *Terei*] Cod. M. *Thyrei*. — v. 272. *peremtis*] Par. α γ *parentis*. — v. 273. *Aëra*] Ita Codd. M. et Par. α β γ ν et editt. Vet. et Lond.; Marb. *aerea . . . istinc conficia*; caeteri cum Schwab. *aethera*. — *isthaec*] Codd. M. et Par. o *isthinc*; Col. et Lips. *istic*. — v. 274. *Holofernes*] Par. ν *Olofernes*. — v. 276. *quod*] Cod. M. *qui*. — *crediderint*] Codd. M. Marb. et Par. o *crediderant*. Editt. Goldasti, Lond. et Vet. *crediderunt*. — v. 277. *Ardet*] Par. γ *ardens*. — *Minos*] Par. β *menos*. — v. 279. *insita*] Codd. Guelferb. Marb. et Par. γ *incita*; Par. o a sec. m. *obsita*. *Insita rostro*, structura mutata, ut saepe in aliis, in hoc verbo sine exemplo. Vult insitum rostrum gerens: nam secundum analogiam linguae et semen et terra potest *inseri*. — v. 280. *curvis*] Par. γ *curcur*. — *aër*] Cod. M. *aether*.

A L I T H I A.

Coniugis offensum tumido sermone tyrannum
Persidis et Mediae species commovit Edissae:
In solio Vasti meruit captiva locari,
Civibus intentam removens a principe plagam.

P S E U S T I S.

Silvae, prata virent, frondent; nunc omnia rident:
Huc Helicon Musas, huc, Proteu, mitte Napaeas;
Adsint praecipue qui curant florida Tempe,
Quos in distichii serie complecteris, Enni.

A L I T H I A.

Erroris causas finxit timor atque voluptas:
Singula si barathro, si singula numina caelo,
Si sua mundus habet, si pontus, quid modo restet?
Ni quot membra tenes, tot confiteare penates?

P S E U S T I S.

Sponte sua tauri cupiunt ad tecta reverti,
Vesper oves cytiso, capras depellit ab ulmo;

v. 283. *locari*] Par. β a pr. m. *videri*. — *Vasti*] Par. *αγοv* et *τ Vasti*. Caeteri cum Schwab. *Vasthi*. Solus Origenes *Οὐασθεί*. Cod. Alexandr. et caeteri *Οὐαστεί*. — *captiva*] Marb. *regina*. — v. 285. *Silvae — virent*] Ita Codd. Par., M. et Guelferb. et Vet. et Lond. Par. β a pr. m. *Sylvae et prata virent*; caeteri cum Schwab. *Prata virent sylvae*. — *frondent*] Par. *oβ frondescunt*. — v. 286. *Napaeas*] Par. *vτ capellas*, quod habet etiam Par. β, illo supra scripto. — *Proteu*] Marb. *prothaw*. Protei mentionem ne mireris h. l., vide Pseudo-Orphei hymnum 24. ed. Hermann. — v. 287. *qui*] Par. *β si*; cod. M. *quae*. — v. 288. *Enni*] edit. Goldasti *anni*; cod. Helmstad. *euni*; codd. M. et Par. *αγτ Henni*, Par. β a pr. m. *Henni*, a sec. m. *Oenni*. — *Distichii*] Corruptum variis modis praebent Scholiastae. Vide ipsum in Burmanni Anthologia Lat. I, 1. — v. 289. *finxit*] Codd. M. et Par. *αvτ fixit*; Par. β a pr. m. *cum sit*, a sec. m. *fingit*. — *voluptas*] Marb. *voluntas*. — v. 290. *si*] Par. *γ sunt*; Par. β a pr. m. Lond. et Vet. *sint*. — *si singula numina*] Par. *γ si dii umina*; Par. *vτ si singula nubila*; Par. *αβο singula numina*; Lips. habet hunc versum ita:

Si singula si baratro sunt singula numina caelo.

Schwab. cum caeteris *si numina singula*; Cod. M. *sint num. sing.* — *barathro*, i. e. inferno, orco. — v. 291. *restet*] Ita Par. *ατ* et β a sec. m. Caeteri et Schwab. *restat*. — v. 292. *quot*] Par. β a pr. m. *quit*. — v. 293. *tecta*] Par. *τ aratra*. — v. 294. *ulmo*] Par. β *hemo*, illo supra scripto. — Alexander de St. Albano: „Notandum, quod magister St. Brito dixit: *chitiso* et illud inveni in pluribus libris." (Codex chitiso pro citiso).

Ni matura redis, lupus insidiabitur agnis.
Cede, dies, caelo, quia nescit cedere virgo.

A L I T H I A.

Si vos terret oves lupus ad caulas redeuntes,
Cornibus elatis illum, mea cura, petatis,
Quem sine fraude prius paschalis vicerat agnus.
Fige, dies, cursum, ne perdat virgo triumphum.

P S E U S T I S.

Triste mari vectis Helenae respectus in astris,
Frugibus aerugo, serpentum sibilus agro;
Hortos talpa fodit, digitos urtica perurit:
Omnia quis divum potuit confligere tantum?

A L I T H I A.

Dulce viro mulier, pratis arentibus imber,
Mandragorae sterili, fons agricolae sitienti:
Praecellit cunctis, animae velamina carnes
Exuerint postquam, placari iudicis iram.

P S E U S T I S.

Quaenam caelicolas avertit dira voluptas?

v. 295. *matura* cett.] Marb. *mature reddis . . . insidiatur*. — v. 297. *caulas*] Par. β *caulam*; Par. *τ callam*. — v. 298. *elatis*] Codd. M. et Par. *αv* et Marb. et Col. et Lips. *illatis*. — *mea cura*, Virgilianum, vide Eclog. I, 18. Aen. I, 687. et aliis locis. — v. 299. *prius*] Ita in Guelferb. et Par. *βγvο*, caeteri *pius*. — v. 300. *fige*] Marb. *finge*. — v. 301. *Helenae*] Editt. Goldasti *Hellae*; Par. *v Helenes*. — *Helenae respectus*] Si nautae flammam in navis aliqua parte vident, „appellant Helenam, diramque et minacem detestantur, ut quae naufragium plerumque portendat," ut verbis utamur Plinii H. N. II. c. 37. §. 37. Plura vide apud Barthium ad Statii Thebaid. VII, 792., Vol. VI, p. 777. seq. Male Schwabius cogitat de sidere Helenae. — v. 302. *serpentum*] Par. β *serpentis*. — *sibilus*] Marb. *sibulus*. — v. 304. *potuit*] Codd. Helmst. Guelferb. et Par. *τ voluit*. — *confligere*] Par. *v restringere*; Lond. et Vet. *confringere*; Schw. putat legendum esse *componere*. — *divum*] Par. β a pr. m. *dignum*. — v. 305. *viro mulier*] Marb. *mulier viro*. — v. 306. *Mandragorae*] Edit. Goldasti *mandragora*; Par. *τ mandagorae*; Par. *γ maragorae*. — v. 307. *Praecellit*] Codd. Helmst. et Par. γ et Schwab. *praecellunt*. Omissum est *quae*, quod habet Schwab., in omnibus Codd. — v. 308. *Exuerint*] Edit. Goldasti *cruerit*; Codd. Guelferb. M. et Par. *βτ* et Lond. ac Vet. *exuerit*. — *placari*] Ita Codd. Par. et Guelferb. et M.; Lond. et Vet. *placarit*; Schwab. vult *placarunt*, „ut versum obscurum (?) magis redderet perspicuum." — v. 309. *avertit*] Codd. M. et Par. β *evertit*; Par. *αv advertit*; Par. *γ aducit*.

Zodiaci numquid loca maximus ordo reliquit?
Aut stertunt omnes, aut tractant pocula Lethes.
Cede, dies, caelo, quia nescit cedere virgo.

A L I T H I A.

Obtuitu vigili curat fastigia caeli,
Quicquid nutrit humus, quicquid producit abyssus;
Nec somnum novit, qui verbo cuncta creavit.
Fige, dies, cursum, ne perdat virgo triumphum.

P S E U S T I S.

Dic mihi, dum tristes adiit Proserpina sedes,
Lege data matri si vellet nata reverti,
Gustum perfidiae quis primum prodidit ore?
Dic, et Troianum lauderis scire secretum.

A L I T H I A.

Quum pelagus mundo, subsidat mundus olympo,
In medio semper consistat pendulus aër,
Dic, ubi terra levem caeli supereminet axem?
Et te posse Dei tetragrammaton adnuo fari.

P S E U S T I S.

Ista suis hodie si praevalet artibus in me,
Dum cessit Mopso, Calchantis more dolebo:
Fraude puellari sed non patiar superari;
Millesies repetam, nisi subtrahat Hesperus horam.

v. 310. *reliquit*] Codd. Guelferb. et Par. α et β a pr. m. *relinquit*. — v. 313. *Obtuitu*] Cod. Guelferb. *obtutu*. — *curat*] Cod. Par. β a pr. m. et Lond. Col. et Lips. *curant*. — v. 315. *Nec*] Col. Lips. et Lond. *non*. — v. 316. *fige*] Marb. *finge*. — *ne perdat*] Cod. Guelferb. et Schwab. *perdat ne*; conf. v. 300. — v. 317. *Dic*] Par. β a pr. m. *Hic*. — v. 318. *si vellet*] Par. τ *si possit*; Cod. Guelferb. et Schwab. *vellet si*. — v. 319. *prodidit*] Col. *protulit*. — Scribendum esset *perfidie* ob *ore*, quod ob alios quoque huius carminis locos observo. — v. 320. *Troianum secretum*] de Palladio. Fabula satis nota. — v 321. *Quum*] Par. α et edit. Goldasti *dum*. — *subsidat mundus*] Schwab. *mundus subsistat* cum Codd. Guelferb., M. et edit. Goldasti. Col. et Lips. *subsistit*; caeteri, ut nos legimus. Par. γ habet *terrae subsidat mundus* pro *subs. m. ol.* — *subsidat*] Marb. *subsistat*. — v. 322. *semper*] Par. α *super*. — *consistat*] Par. β a pr. m. *si constat*; Cod. Helmst. *subsistit*; Editt. Goldasti, Lond., Vet., Col. et Lips. *consistit*. — v. 324. *Dei*] *davi* Par. β a pr. m. — *tetragrammaton Dei*, יהוה. — v. 325. *Ista*] Par. τ *Hasta*. — *suis*] Par. γ *sui*. — v. 326. *Dum*] Marb. *Cum*. — *Calchantis*] Ita Par. βγ et Col. et Lips. Alii, ut ανт, *Calcantis*. — v. 327. *sed non*] Cod. M. et Lond. et Vet. *sic non*, Par. ν et Col. et Lips. et Schwab. *me non*; Par. γ *sed*; Par. τ *non sed poterat violari* pro *sed non patiar superari*. — v. 328. *nisi*] Par. τ et Col. et Lips. *ni*.

A L I T H I A.

Nunc utinam Thales, falsorum fictor, adesses:
Quatuor imprimis evangelicae rationis
Nitar codicibus, nostrum de virgine corpus
Ut Deus adsumsit, nec me labor iste gravabit.

P S E U S T I S.

Egregiam sobolem cui per Stilbontis amorem
Vi superum magna sociasti, teste Capella,
Obsecro te, Phronesi, iubeas reticere sorori.
Quo tendis cedo, nec me cessisse negabo.

P H R O N E S I S.

Mortales cuncti quod contendunt adipisci,
Nec, si perficiant, vitae discrimina curant,
Ex insperato Dominus tibi contulit ultro.
Ut cessare velis, devictus supplicat hostis.
Thraïcius vates commovit pectine Manes,
Te moveant lacrimae. Iam tollit cornua Phoebe:
Sol petit occasum, frigus succedit opacum.
Desine quod restat, ne desperatio laedat.

v. 329. *falsorum*] Par. γ *farforum*; Par. τ *falsarum*. — *fictor*] Marb. *victor*. — *adesses*] Par. τ *adesset*. — Thaletis nomen omni tempore proverbiale erat de sapiente; hic quoque de philosopho pagano quovis ponitur. — v. 330. *rationis*] Marb. *lectionis*. — v. 331. *Nitar*] Codd. Helmst. et Par. β et Col. et Lips. *utar*, et ita Schwab. — *nostrum*] Sic omnes Codd. Par. et editt. Goldasti, Lond. et Vet. Cod. Guelferb. *vestrum*; Col. *sacrum*; Schwab. cum Cod. M. *verum*. — v. 332. *adsumsit*] Codd. Guelferb. et Marb. et Par. ντ *accepit*. Par. ν habet glossam „assumpsit." — *iste*] Col. *ille*. Par. τ *gravabit labor iste* pro *labor iste gravabit*. — v. 336. *tendis*] Ita Par. ατ et edit. Goldasti; caeteri et Schwab. *tendit*. Marb. *quo tendit cedo nec me vicisse negabo*. — *nec me*] Par. β *nec eam*. — v. 237. *contendunt*] Cod. M. *concedunt*; Par. τ *contempnunt*. — v. 338. *Nec*] Codd. M. et Par. τ *ne*. — v. 339. *insperato*] Codd. M. et Helmst. et Lips. *inspirato*. — v. 340. *Ut*] Par. α et β a pr. m. *Et*. — *velis*] Par. τ *velit*. — *Thraïcius* (fort. *Threïcius*, sed illud codices) vates, „Orpheus" gloss. Deinde *Phoebe* pro luna. — v. 341. *Manes*] Par. γ *canes*. — v. 342. *moveant*] Cod. M. *maneant*. — v. 343. *occasum*] In quibusdam, dicit Schwab., *oceanum*. — Bis legitur hic versus in Col., post versum 339 atque hoc loco.

[Nunc Alithia, Deo reddens pia carmina plectro,
Hoste suo victo coepit modulare benigno:
Alme Deus, triplex, simul omnipotens, pie, simplex,
Qui caelum, terras, mare, tartara rite gubernas,
Quoque regis cuncta propria virtute sub una,
Erige subiectos cunctos tibi, sterne superbos;
Cui sit laus semper, virtus, pax, gloria perpes,
Quem decet aeternum regnum sine fine per aevum.]

v. 345—52. deficiunt in omnibus, praeter Codd. Guelferb. Par. γ et Marb. De iis confer Prolegomena (§. 4. in fin.). — v. 345. *Nunc*] Par. γ *tunc*. Marb. *tunc alathia pia reddens deo*. — v. 346. *benigno*] Marb. *benigne*. — v. 347. *simul*] Par. γ *ast*. Marb. *et*. — v. 348. *rite*] Par. γ *arce*.— v. 349. deest in Cod. Marb. — *sub una*] Par. γ *sublima*. — v. 350. *cunctos tibi*] Par. γ *tibi cunctos*. Marb. *tibi cunctos sperne*. — v. 351. *semper virtus*] Par. γ *virtus semper*. — v. 351. et 52. desunt in Cod. Marb., qui ita habet in fine: Expliciunt egloge Theodoli feliciter.

GOTHAE, TYPIS ENGELHARDO-REYHERIANIS.

DUE DATE

	JUN 1 1988		
	FEB 1 5 1989		
	201-6503		Printed in USA

